EMENDATIONES HORATIANAE.

SCRIPSIT

ROBERTUS UNGER.

HALIS SAXONUM.

C. E. M. PFEFFER.

1872.

GODOFREDO BERNHARDY

ANNUM QUINQUAGESIMUM, EX QUO SUMMOS PHILOSOPHIAE HONORES ADEPTUS VERAM GRAECARUM LATINARUMQUE LITTERARUM STUDIA ADJUVANDI LAUDEM MERERI COEPIT, FELICITER COEPTUM

LAETUS LIBENS GRATULATUR

FUTURAMQUE EJUS DIEI, QUO OLIM SINGULARIS EXIMIAEQUE VIRTUTIS ORTUS ILLUXIT, CELEBRITATEM

PIE OMINATUR

R. U.

I.

Ad Horatii carmina vere explicanda ac perpolienda in veterum grammaticorum commentariis aut leve aut nullum positum esse momentum multa videor afferre posse quibus demonstrem et doceam ad persuasionem apposite. Quale est illud, quod I. 8, 4 cum omnes libri tum Porphyrion et Priscianus XVII. 7, 34 et XVIII. 10, 94 tenent:

Lydia, dic per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere, cur apricum
Oderit campum patiens pulveris atque solis.
Cur neque militaris
Inter aequales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere?

Ferendum hoc putarunt Bentlejus, Schraderus Animadv. ad Mus. XVIII. p. 312, Meinekius, Hauptius, non item Withofius Spec. Gunth. p. 55 (Deserit campum), Oudendorpius (Odit hic vel Odit is), Peerlkampius (Odit is — impatiens), Lehrsius p. XLII, qui jam longe deterrimum protulit hoc: „Odit et campum." Nec probabilitatis quidquam habet inceptum Useneri Diomedis Victorinique et Fortunatiani, apud quos invenitur properas, auctoritate abusi (Mus. Rhen. XXIV. p. 338): „Sybarin ni properas amando Perdere, cur apricum Oderit campum?" Namque mutati verborum modi: cur properes — cur timet manifesto declarant duplicem sententiarum ordinem institutum esse in hunc fere modum: Dic cur amando Sybarin perdere properes? Quod nisi facis, cur ille apricum campum fugit? cur neque inter aequales militaris equitat nec Gallica ora lu-

patis temperat?" Unde non dubie emergit omissa, ut assol[illegible] prima quarti versus littera (de quo erroris genere et in Ele[illegible] Criticis p. 1 sqq. dedita opera quaesivimus et infra II. III. [illegible] VI. VII. cf. XXV. XXIX. XXXIII. XXXVIII. XLII. XLV. [illegible] LVII. LXIII. LXVI. add. Carm. IV. 15, 8 Postibus. Schol. Cr[illegible] Hostibus. III. 4, 10: nutricis. altricis commemorandi co[illegible] pia erit) hoc consignatum extitisse: ōterit:

dic — cur properes amando
Perdere? Cur apricum
Non terit campum patiens pulveris atque solis?

Ut Martial. III. 20, 10: „Hinc si recessit, porticum terit templi." XI. 14, 1: Quisquis Flaminiam teris viator." Ovid. Am. III. 6, 53: „quid nostras — teris anxia ripas?" cf. Hor. Epod. IV. 13: „Appiam mannis terit." Prop. III. 2, 18. 17, 22. II. 23, 82. Rutil. It. II. 21: „Milia — decies centena teruntur." Coripp. Just. III. 125: „triumphali tereret Capitolia pompa." Nam „terere ad frequentiam itus et reditus pertinet" Barth. Adv. V. 15 sive Sil. V. 180 p. 257.

Itaque hic Priscianus non levius erravit, quam in Art. Poet. 65 („palus brevis lecta" Gloss. cod. Endlich. p. 461 not. 1):

sterilisque diu palus aptaque remis,

ubi quae interpretandi gratia adscripta fuerat vox palus dejecisse videtur verum nomen Saturae (Oberlin. Vib. Seq. p. 284):

sterilisque diu Satura aptaque remis.

Quo eodem modo apud Statium accidisse, ut pro tyranno erumperet Catillus, obtinuimus Conject. Stat. XVII. p. 248 sq. Nec melius de Servio, quam de Prisciano, sentiendum esse et hic intelligitur (cf. Bentl. Art. l. d.) et infra XLVI apparebit.

II.

Quod IV. 14, 5 legitur:

Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastos
Aeternet,

id quamquam Meinekio quoque et Hauptio probatum vix defendi posse videtur illo Ciceronis exemplo, quod forte me

moriae nostrae occurrit: in vulgus pervulgatum" et si quae extant non omnino dissimilia, ut Ovid. Met. I. 663: Aeternum nostros luctus extendat in aevum." Quare quum ne ita quidem, si eam, quam injecit Burmannus Virg. Aen. VI. 807 p. 129, dubitationem levem duxerimus, rationis sit verbo aeternet sufficere id, quod multo scriptorum usu cognitum suppeditavit Peerlkampius: extendat, non temere suspicari videmur in hoc loco id erroris genus, quod supra perstrinximus, admissum fuisse. Sic igitur statuimus: aeternet illud, quod a Porphyrione usurpatum manere videmus in Gloss. Labb. p. 9: „Aeterno ἀποθανατίζω", a grammaticis interpretandi gratia superscriptum in ipsum verborum ordinem ab iis adscitum esse, qui quod in principio versus positum invenissent: erennet, non haberent quid aliud sibi velle dicerent. Quare Porphyrioni relinquamus suum illud aeternet, Horatio reddamus hoc: perennet:

tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastos
Perennet.

Quocum congruunt loci Sidonii Apollinaris Epist. IV. 1: longum tibi etsi sede absumus, assimus affectu, cujus intemeratae partes a nobis in aevum, si quid est vitae reliquum, perennâbuntur" et Ausonii: Epist. XVI. ad Prob. 70: „Hunc rursus Augustus prior Suis perennet fascibus" et quos addidit Savaro Sidon. l. d. p. 233. Sidonio autem subjungere eos licet, qui praeter Propertium et Priscianum, quos testificatus est Peerlkampius, idem dixerunt, Lucanum VII. 131: „diem, qui fatum rebus in aevum Conderet humanis." Claudianum Mall. Theod. 334: in aevum Procedat." Prudentium Cathem. IX. 62: „Nescit esurire in aevum." Sedulium III. 57: non dormitat in aevum" et quos composuit Arntzenius p. 145 cf. Cort. Lucan. l. d. p. 160 et I. 447 p. 123 ac Plinium N. H. XXXV. 2, 2 p. 200: pictura — similes in aevum propagabantur figurae." Nec jam praeteream eundem Lucanum VIII. 816: „surgit miserabile bustum Non ullis plenum titulis, non ordine tanto Fastorum", quem Horatii vestigia legisse vult Dorvillius ap. Burm. p. 601 cf. Claudian. Mall. 335.

„libris pariter fastisque legendus", aut V. 666: „plenus honorum Et dictator eam Stygias et consul ad umbras", quocum Cortius p. 67 contendit Plin. Ep. II. 1, 7: plenus annis abiit, plenus honoribus."

III.

De versu I. 25, 2:

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi

nuper Hauptius Herm. IV. Var. XII p. 145 in hunc modum disputavit: Horatio redditum tandem est quod scripsit jactibus. — Nam jactibus, non ictibus in libris suis praeter Divaei omnibus se legisse testatur Cruquius, in Leidensi, Graeviano, Reginensi Bentlejus; accedunt alii libri et quod Porphyrio adscripsit suumque fecit Acron: juvenes, qui olim frequentius fenestras tuas lapidibus incessebant —. *mirum* est Bentlejum vocis tam aptae tamque testatae veritatem non adgnovisse neque minus mirum non restituisse eum eandem vocem in versibus Claudiani, quos propter inanem quandam Nic. Heinsii opinionem adfert. dicit Claudianus Eutr. I. 90: jam turba procax noctisque recedit Ambitus et raro pulsatur janua tactu. scribendum est: et raro pulsatur janua jactu: nam tactu misere languet, obversatum autem esse Claudiano Horatii carmen vix potest dubitari. et attulit Burmannus jactu ex libro Vossiano." Qui Bentleji acumen elanguisse tantopere miratur, eum — humanos casus adspice, ut ait poeta vetus — jam nos vehementius miramur haec ita disputasse. Narra enim nobis: principum virorum auctoritas ex voluntate unius hominis omnino improbanda atque illudenda fuit? circumspectione aliqua et accurata consideratione non tuenda fuit? Ergo eorumdem locorum comparatione facta quum Heinsius Ovid. Met. IX. 35 (fortius Claudian. p. 830) affirmet tactibus scribendum esse, Bentlejus ictibus, uterque vocis jactibus certus extitit contemptor. Cujus consensus caussa nimirum haec fuit, quod sic dictam eam vocem nullo veteris alicujus scriptoris exemplo repererant. Quod quum non perspexisset Hauptius nostrae potius, quam latinae consuetudinis

memor id ipsum, quod esset omnium pravissimum, et de Claudiano, de quo infra absolvemus, et de Horatio praecepit causaeque, quae hic agitur, penitus pernoscendae adeo defuit, ut nihil interesse sumeret inter lapillorum et arenae jactum, quo fenestrae peterentur, et januas vectium aut pedum vel saxorum impetu et vi expugnatas earumque rerum, quarum post Heinsium et Bentlejum opus esset explicatione, ne unam quidem attingeret. Scilicet nunc eo perventum est, ut doctissimo cuique pro ratione sit sua ipsius voluntas: velut alius quidam, quem inter tolerabiles interpretes a nonnullis referri audio, vocem jactibus probavit opinatus valvas fenestrarum foraminibus oppositas saxorum jactibus intremuisse, ictus autem recte dici lapidum ictus negavit (negavit autem non immemor, credo, Peerlkampii, qui II. 15 p. 212 ictus intelligi vetuit ictus solis). Ipse jam nolo partes ab omnibus, qui credulitatem suam addixerunt Porphyrioni et Acroni: „fenestras lapidibus incessebant", derelictas explere vocum ictus et jactus (jactatus It. Alex. 69 p. 36) vim atque usum edisserendo: suppeditant enim alia et graviora, quibus pravo judicio omnes ad unum duci evincam, argumenta. Primum enim illa: parcius fenestrae quatiuntur jactibus crebris vel potius ictibus crebris (id quod praetulit Burmannus Prop. I. 16, 5 p. 153 et II. 15, 5 p. 348 cf. Pric. Apul. Met. IX. p. 366), quoniam certe hoc apparet atque extat non jactu fenestras quati, sed ictu, quam belle se habent! nimirum hoc jam ab elegantissimo poeta indicari intelligis: fenestras crebris ictibus parcius quati, frequentius quati raris ictibus. Nec hae voces solum, verum etiam ipse verborum ordo indicat separatas voces ictibus crebris fuisse a verbo quatiunt. Quare vel illam rationem facilius ferremus, si quis juvenes jactibus crebris (vel litibus Carm. III. 14, 26) aut coetibus protervos intelligi voluisset. Sed porro rem urgeamus. Quid enim ab hujus carminis sententia alienius saxorum mentione? quibus puellae fenestras expugnatas esse ab amantissimo quoque juvene quis umquam scripsit? certe longe aliud docent et Apulejus Met. IX. p. 630: „suae domus januam jam pulsat, jam clamat, jam saxo fores verberat" (quo loco „illustrari lectionem Mss. ali-

quot Horatii jactibus" perperam sibi persuasit Oudendorpius) et Pontanus Carm. p. 371: „Ingerat hic lapides" et qui plena manu januam percussam narrant (Broukh. Tib. I. 6, 32 p. 117 et Prop. III. 23, 30 p. 372 sq.) vel quocunque modo effractam (Harl. Theocr. II. 128. p. 96) aut fenestram modo nocturnis dolis tritam (Prop. IV. 7, 16 sq.), modo manuum vi quassatam ac revulsam. Nam mirum profecto est tot doctos fugisse perspicuam verborum, quibus Horatius usus est, sententiam: qui enim bifores fenestras (Ovid. Pont. III. 3, 5. Mitsch. Hor. p. 240 cf. totas fenestras Ovid. A. A. III. 807. Rem. 411 sq.) junctas (Porphyr. p. 101, 9: „junctas — obclusas intelligendum", ut Juvenal. IX. 105: „junge ostia." Rupert. IV. 62 p. 96. cf. Ovid. Am. I. 5, 3: „Pars adaperta fuit; pars altera clausa fenestrae") quatit (Lucan. VI. 28: „pontus Templa domosque quatit" cf. Sil. IX. 319: „vellere sede Si coeptet Calpen impacto gurgite pontus." VII. 130: „morsuque quatit restantia claustra"), is dubium non est quin clausam fenestram relaxare atque aperire conetur sive claustra revellere (Cic. Verr. II. 4, 23. Liv. V. 21. Virg. Aen. II. 480). Nec illud quidem obscurum est iis, in quorum mentibus lapidum crebri jactus (Apul. Met. IX. p. 663. Hom. Od. XIV. 36: πυκνῇσιν λιθάδεσσιν) penitus inhaeserunt, satius fuisse fenestras memorare lapidibus perstrictas (ut Aurel. Vict. Epit. 15, 9 cf. Sil. XV. 759), quam quassatas. Denique hoc etiam mirabilius est, quod nemo vidit eam ipsam rem jam omissam esse, quae nec propter illam sententiam: „quae prius multum facilis movebat cardines" praeteriri in principio carminis potuerit ullo pacto et ad describendos Lydiae mores et ad probandam opprobriorum veritatem maxime pertinere videatur: idem enim Horatium hoc carmine sequutum esse, quod Propertium III. 23, 35: „Exclusa inque vicem fastus patiere superbos Et quae fecisti facta quereris anus" et Ovidium A. A. III. 69: „Tempus erit, quo tu, quae nunc excludis amantem, Frigida deserta nocte jacebis anus" nec Acronem et Porphyrionem fugit: in meretricem — merito ab amatoribus passuram, quae fecerat" Scholiastamque Cruq. p. 57: „arrogantem, sed jam vetulam, quae merito ab amatoribus spernebatur, quos olim contempserat" et Mitscherlichius

identidem significavit p. 240. 242. a. b, nuper autem Lehrsius p. LV. intulit commento per omnia incredibili hocce: „Quae prius nulli facilis movebas Cardines." Itaque quo primos versus legentium animus apparetur ad eam rem planissime cognoscendam, quae his deinceps significatur v. 7: me tuo longas pereunte noctes. 9: invicem moechos anus arrogantes Flebis: fastosam fuisse Lydiam tum, quum a multis peteretur (v. 5: quae multum facilis movebat cardines" cf. Mitsch. p. 242. Sen. Tro. 406: „non facili — ostio"), tollendum jam id vitium est, quod ante Porphyrionem et Acronem natum omnes, quos supra percensuimus, genuit doctorum errores. Cujus vitii correctio non magis in proclivi est, quam certa. Quoniam enim nihil frequentius accidit, quam ut „ob similitudinem ductuum, quibus majusculae F et J scribi solerent, verba facere et jacere, facta et jacta permutarentur" (Drak. Liv. X. 6, 3 p. 48. Burm. Obss. Misc. II. p. 186. Cort. Lucan. VI. 212, p. 39) magnaque est controversia cum litterarum c et s tum vocum ictus et aestus (ut apud Horatium II. 15, 10: „Excludit ictus." aliquot codd. aestus. Manil. IV. 796 aestibus. Lips. astibus. corr. ictibus aliosque, quos composuit Burmannus Anth. Lat. V. 114, 21 p. 389 sq. cf. Adnot. Stat. Ecl. ult. 77 p. 125), quis tandem invenietur, qui semel monitus a nobis quod et in optimis codicibus Cruquii et Bentleji et in 13 Vanderbb. extat jactibus, in Graevii autem codice sic scriptum est Lactibus (cf. Lucret. II. 135 Ictibus. Vet. ed. ap. Wakef. p. 22 Letibus. Ovid. A. A. II. 232 jactas. Bern. latas) dubitet convertere in hanc speciem: Fastibus (Serv. Aen. III. 326), atque hanc efficere sententiam: quo crebriores Lydiae fastus fuerunt, eo jam parcius juvenes fenestram quatiunt:

Parcius junctas quatiunt fenestras
Fastibus crebris juvenes proter**vae**
Nec tibi somnos adimunt.

Proprie enim dici amicarum fastum docuerunt intpp. Petron. 96 p. 596. Gronovius Obss. IV. 10 p. 627. Burmannus Prop. I. 1, 3 p. 5 et III. 11, 9 p. 616 sq. Martial. X. 13, 7: Ad nocturna jaces fastosae limina moechae." IV. 29, 5: Sic spoliatricem commendat fastus amicam Janua nec juvenem semper aperta

tenet"; fastibus proterva autem, ut Stat. Silv. V. 5, 68: Infantem linguae eximium salibusque protervum cf. Politian. Nutric. p. 276: „ore protervior Anser." Sen. Hipp. 303: Fronte nunc torva petulans juvencus"; quae verba ne Tibulli II. 1, 74: hic dicere jussit Limen ad iratae verba pudenda senem" comparationem requirere putes, hunc tene esse ordinem: „tibi fastibus crebris protervae juvenes parcius fenestras junctas quatiunt nec somnos adimunt." Denique vocis parcius, quam idem velle atque rarius dicunt et Acron Porphyrionque et Mitscherlichius, vim et potestatem rectius definiendi copiam faciunt et ipse Virgilius Ecl. III, 7, cujus testimonium interposuit Acron, et Ovidius Epist. VIII. 13: Parcius Andromachen vexavit Achaia victrix" et Ammianus Marc. XXV. 1, 12: „ut ibi tantum incidentia tela possint haerere, qua per cavernas minutas et orbibus oculorum adfixas parcius visitur." Sil. XV. 759: „parceque petitum Perstrinxit corpus." X. 474: „*haud* parce miratus." Martial. VIII. 38, 6. Quaerit quid nisi parcius dolere? Seyff. Cic. Tusc. V. 14, 41 p. 98. Ut intelligatur juvenes languescente jam fervore et quasi parcente manu (Stat. Achill. I. 572) fenestras vellere. Conf. XIV.

Jam faciendum est, ut tandem liqueat de Claudiani loco Eutrop. I. 92:

jam turba procax, noctisque recedit
Ambitus et raro pulsatur janua **tactu.**

Quem quum ad Horatii exemplum expressum esse omnes ante Hauptium dixerint, nemo tamen vere aut explicavit aut emendavit. Ut enim Hauptio concedamus, quod concedi nequaquam potest, jactum intelligi lapidum jactum: quid hac mentione afferri potuit alienius et longius sejunctum a descriptione nocturni ambitus, quo Laidem a tot procis petitam fuisse et Claudianus narrat et alii dicunt, ut Philostratus Epist. 42: *εἰ Κορινθία ἦσθα, τῶν Λαΐδος κώμων ἂν ἐμνημόνευσας*. Burm. Prop. II. 5, 1 p. 249? Nec vero difficilis veri conjectura reputanti „hoc ipsum fuisse antiquis temporibus solemne, ut lascivi juvenes — ante fores amicarum comissabundi convenirent, quas cantionibus atque musica oblectarent" Welck. Philostr. Im. I. 2 p. 204 sq. Parum autem

differre tactu et cātu, cantu quis est quin concedat admonitus vel de Lucano IX. 925 tacta. Turrian. tanta et Claudiano II. C. Stil. 58: numine tanto. Ambros. pr. Gud. cauto? Unde hoc potius defendi ab Hauptio oportuit Claudianum maxime ad id ipsum spectasse, quod Horatius his indicavit: audis minus ac minus jam: Me tuo longas pereunte noctes, Lydia, dormis?" Quam θυραυλίας mentionem a multis usurpatam (Ruhnk. Tim. p. 145. Dorv. Char. I. 2 p. 217. Boiss. Philostr. Ep. 19 p. 73 et 53 p. 151) satis est ostendisse exemplis Plauti Pers. IV. 4, 20: „hac enim illi noctu occentabunt ostium, exurent fores." Curcul. I. 2, 57: „quid si adeam fores atque occentem?" cf. Joann. Secund. Eleg. I. 5 p. 153: „Cantabit juncto limine nullus amans." III. 1 p. 187: „Cantent ad surdas carmina vana fores." I. 2 p. 149: „Et rigidos cithara postes mollire per umbram Sertaque cantatis addere cardinibus." Verum ut sint haec probabiliter disputata, quae cogitatius certe sunt posita, quam quae Hauptius imperavit magis, quam suasit, verum tamen id demum vocabulum esse arbitror, quod ex memoria codicis Ambros. pr. et sched. Gud.: ductu eruitur nullo negotio: quum enim permutatione litterarum ct et x (ut Lucret. VI. 1218 noxia. Voss. ap. Wakef. p. 390 nectia, luctus et luxus Stat. Conject. IV. p. 172. XI. p. 200) nihil pervagatius esse constet, in expedito est suspicari olim consignatum fuisse buxu:

rara pulsatur janua **buxu**,

quod ipsum quominus librariorum vulgus agnosceret propagaretque, obfuit insolentia et ipsius formae, quam a grammaticis non contestatam tamen reperimus in Ovidii et Claudiani codicibus (Burm. Rapt. Pros. III. 130 p. 615). et ejus orationis, qua usus poeta januam pulsari buxo sive tibia (Barth. Stat. Theb. VII. 171 p. 675 cf. V. 93 p. 64. Brod. Misc. II. 25 sive Martial. p. 190. Burm. Prop. IV. 8, 41 p. 864), quam fuisse *κώμων ὑπηρέτιν* Theognis et Pratinas docent (Welck. l. d.), sic dixit, ut Lucanus VII. 25: „nullas tuba verberat aures" cf. Sil. V. 189: „tuba fregit stridoribus auras." et Avienus D. O. 1081: „coelum sibila pulsant Robora;" quibus exempla proxima sunt, ut intelligitur ex disputatione nostra Adnot. Stat. Ecl. ult. 33 p. 52, haec

Statii Theb. X. 120: „zonis lucentibus icta Evigilat domus; ipse autem nec lampade clara Nec sonitu nec voce deae perculsus."

Ergo liquet similitudinem, qua Horatii et Claudiani locos inter se contineri voluit Hauptius, esse nullam.

IV.

In versu III. 27, 60:

potes hac ab orno
Pendulum zona bene te sequuta
Laedere collum

consensu Bentleji, Heinsii Ovid. Met. IV. 371 p. 261 et Adv. I. 11 p. 118, Ruhnkenii Ovid. Her. IX. 85 p. 60, Meinekii, Hauptii, Lehrsii p. 107 jam praevaluit elidere. Quod verbum in vulgus pervulgatum dubitari vix potest quin grammaticorum opera atque arte provenerit ejus loco, quod antequam fieret laederet (a Cannegietero Avian. III. 2 *p. 28* omissum), hoc modo consignatum fuit: edere id est *ectere*:

potes hac ob orno
Pendulum zona bene te sequuta
Nectere collum.

Cui similia sunt illa tempora ramo nectere, comam myrto nectere Burm. Val. Flacc. VI. 296 p. 528. Claudian. Fesc. 88: comas — molli necte corona. IV C. Hon. 607 cod. Ox.: Caspia nectit eburnis Colla jugis", quod non improbavit Burmannus p. 167 et Prob. et Olybr. 81 p. 11. Add. Heins. Ovid. Ep. V. 48 p. 61. Alii dixerunt modo laqueum, vinculum collo nectere, ut Ausonius Epigr. XXIII. 1. Martial. XIV. 206. Hor. Ep. I. 19, 31 (aptare Lucan. VIII. 655) cf. Pric. Apul. Met. V. p. 248. Seren. Samon. 952, modo laqueo colla innectere, ut Ovidius Met. XI. 252, vel cervicibus laqueos innectere, ut Arnobius III. 27; nam Bentleji praeceptum Hor. Epod. XVII. 72 corrigi oportet iis exemplis, quae exprompsimus in Sinide cap. III. p. 59 et 221. add. Aurel. Vict. Epit. 35, 5: „diadema capiti innexuit" atque Ammian. Marc. XIV. 7, 15: „resticulis cruribus ejus innexis" cf. XV. 2, 4: „innectendas letales insidias vitae simplici."

In eadem parte laborat versus IV. 2, 2:

Pindarum quisquis studet aemulari,
Jule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis.

Nam vitio natum esse istud nomen Jule vere Peerlkampius censuit assensusque ei interposita Mommseni de Nom. Propr. Rom. p. 35 auctoritate Lehrsius p. CXXVII. in ipsum verborum ordinem recepit, quod Peerlkampius proposuerat: Ille ceratis —." Quod vocabulum ad intelligendum planissimum quum nequaquam videatur potuisse librarios in fraudem impellere, praestat jam quaeri, an subsit insolentius illud dicendi genus, de quo exposuerunt Barthius Adv. XII. 1, quem laudavit Wernsdorfius P. L. M. II. p. 224, Broukhusius Tib. I. 5, 50 p. 108. Reinesius et Burmannus Petron. 70 p. 455 idemque Burmannus Virg. Georg. IV. 448 p. 506 sq. cf. Cort. Lucan. VIII. 619 p. 363 et VII. 865 p. 272. Drak. Liv. XXXVIII. 11, 9:

Pindarum quisquis studet aemulari
Velle.

Ut apud Ovidium Fast. II. 661: audes Fatidicum verbis fallere velle deum." Met. X. 132: „Velle mori statuit." 39: certum est Nolle redire mihi" cf. Wopk. Justin. XII. 6, 7 p. 127. Virg. Ecl. X. 53: certum est Malle pati. Petron. 98: incipe velle servare. Aurel. Vict. Epit. XIII. 7: supervacaneum videtur cuncta velle nominatim prodere." Itaque quantum divino Pindari ingenio tribuat Horatius, vel hinc apparet, quod eum, qui velle imitari studeat, ceratis pennis niti dicit nimirum hoc significans vix cuiquam contingere, ut justae imitationi jam studere judicetur.

Ceterum cum eo, quod legitur v. 23: animumque moresque Aureos", non alienum est contendere Claudianum Mall. Theod. 136: „in quo veteris vestigia recti Et ductos video mores meliore metallo", sententiam autem versus 25: „Multa Dircaeum levat aura cycnum" hac demum interpretatione vere evolvi: ego apis modo thyma per plurimum laborem carpentis circa uemus et ripas uvidi Tiburis operosa carmina tenui quadam voce fingo; at cycni in summum aerem evolantis cantum multus Zephyrus adjuvat, ut quam clarissime resonet alitis carmen quamvis

mediocriter laborantis" dedita opera obtinuimus Electt. Crit. p. 44 sqq.

V.

In corrigenda voce illa, quae legitur I. 32, 15:

o laborum
Dulce lenimen, mihi **cunque** salve
Rite vocanti

probata et Acroni Porphyrionique et Sarbievio Lyr. IV. 14 p. 165: „Laetus et parvo mihi cunque dives Canto viator" cf. Arntz. Cat. Dist. I, 9 p. 31, dici vix potest quanto opere docti homines laboraverint. Proposuit enim Goettlingius: Quale lenimen mihi cunque, Hauthalius Add. p. XVIII. melicumque et sub ejus exemplo Lachmannus medicumque, quod perplacet Hauptio, Hamacherus nitidumque, Hirschfelderus: mihi ubique, quod melius fecisse sibi videtur Hauthalius p. XIX sic scribendo: mi ubicunque; antea Bentlejus: „mihi, cuique, salve", Peerlkampius: mihi tuque, nuper Lehrsius mirabilis idem Horatii sector et ejus, quem extremam carminis partem commentum esse dicit, corrector: mihi, luxque, salve, rite vocanti." Quos omnes fefellit vera litteras libris proditas ordinandi ratio. Qui enim recordatus fuerit litteras que et ce non minus frequenter a librariis permutatas fuisse (Valg. p. 430), quam ci et a (ut civica verteret in avita et nitida in miada Stat. Conject. VII. p. 185. XIX. p. 262), facile perspiciet factum id esse cunce, quod scribi oportuit ciunce, aunce id est amice (cf. XXXIII):

O decus Phoebi et dapibus supremi
Grata, testudo, Jovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi **amica** salve
Rite vocanti;

reddendum enim testudini fuit, quod barbito perperam transcriptum est. Cf. III. 11, 6: testudo — amica templis."

Licet adjicere similiter atque in versu 1: Poscimur positum esse a Silio II. 44, quem afferre supersedit Lehrsius d. LXII: „Poscimur, o socii"; versum 5 autem immerito sic a Bergkio Anacr. p. 252 reprehendi, ut a Terpandro bar-

bitum inventum esse commemoraret. Sed prope piget referre a Lehrsio eum versum hoc modo deformatum esse: dic amoenum, Barbite, carmen." Qui quidem Baudii, credo, II. 3. p. 34: Regina amoeni Terpsichore soni" et IV. 9 p. 159: „testis amoenior Argenteis Gallutiorum Barbitos insonuisse nervis" studiosior fuit, quam Sarbievii IV. 7 p 152: Jessea quisquis reddere carmina Audet Latini pectine barbiti;" sed mallem ille nobis Matinum carmen protulisset.

VI.

Quod contra factum est in carmine III. 11, 18:

quamvis furiale centum
Muniant angues caput **ejus atque**
Spiritus teter saniesque manet
Ore trilingui

(caput, ejus atque Spiritus —" Barth. Stat. Theb. IV, 486 p. 117.) Namque in a abisse litteras ce et in hanc speciem: ei'atque vertisse verbum eĭcetque:

emicetque
Spiritus teter

nuper comprobavimus Stat. Conject. VII. p. 183 sq. not. 3, ubi similia quaedam attulimus omisso Nemesiano L. Herc. 123: flammisque furentibus ardet Spiritus" cf. Hermesian. Eleg. 11 : *κυνὸς Ἐν πυρὶ μὰν φωνὴν τεθοωμένου.* Lyd. de Menss. III. 25: *τὴν τρίστοιχον φύσιν δηλοῦσιν ὕδατος, πυρός, γῆς — ὅθεν καὶ τρικάρηνον ὁ μῦθος δίδωσι τῷ Πλούτωνι κύνα ἀντὶ τοῦ τρίστοιχον.* Cul. v. 220: „Pone Cerberus en diris flagrat latratibus ora" (sic enim sive in hunc modum: dira inflagrat cf. Stat. Conject. XII. p. 204, Peerlkampii Hor. p. 297 inceptum expolire satius duximus cf. Sil. I. 126, quam de tollendis obscurae famae vestigiis adstipulari Hauptio, qui haec excogitavit: Pone Cerberus et diris latrantia rictibus ora"). Quid jam adjiciam hos versus spurios habitos esse cum ab aliis tum a Peerlkampio et cui ludus est summas quasque difficultates subterfugere, Lehrsio p. CXIV? Quale autem Cerberi, tale Oedipi e profundis tenebris ere-

pentis fuisse scribit Statius Theb. XI. 583: durus sanguine crinis Obnubit furiale caput."

Idem Lehrsius quae de eodem Cerbero leguntur II. 13, 34:

Demittit atras **bellua centiceps**
Aures,

ab Horatio fortiter abjudicavit p. LXXXV neque de Seneca de Mort. Claud. p. 710 Elz. commemoravit: „pervenit ad januam Ditis, ubi jacebat, ut ait Horatius, bellua centiceps", quem nec a Mitscherlichio allatum video nec a Peerlkampio (quem eundem p. 206 fugit Ennodii loco Vit. Epiphan. p. 215. C subjungere alterum hunc Carm. II. 44 p. 343. B: Oris ad imperium submittunt colla chelydri" et Sen. Herc. Fur. 803: „cuncta lassus capita submisit canis." 810: „Composuit aures timidus").

Neque illud quidem Lehrsius (qui in hac caussa videtur maxime ab Ellendtio profecisse cf. Meinek. p. XV) perspectum habuit, quid sequutus Horatius extremum carmen ad celebratissimas inferorum fabulas deduxerit. Quem quidem pietatem suam et Musam dis cordi esse vitae suae custodibus hic quoque professum in praedicanda mirifica artis divinae potentia (ut III. 11, 13 sqq.) apte desisse quis est quin concedat?

Sed revertor ad locum illum difficillimum v. 36:

ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures,

quem Peerlkampius (ne Silio quidem VI. 198: „haustu sorbens et faucibus atris" in partes vocato) sibi visus est hac arte restituisse: demittit atras bellua centiceps Fauces." Quali dicendi modo nec Virgilius usus est nec Claudianus aut Apulejus, quos scite composuit Cerda Virg. Georg. IV. 483 p. 551. b. F. Equidem arbitror subesse aliquid, quod sit magis reconditum. Occurrit autem primum memoriae hoc, quod tenui discrimine ab altero disjungi scit, qui in Calp. Ecl. V. 85: lites Auferet ingentes lectus possessor in armo" scribi jussit in aure et qui arma et ora (aure: ore Lachm. Prop. I. 31 p. 7) permutari solita esse docuerunt (Drak. Sil. IV. 166 p. 198): „Demittit atros bellua centiceps Armos"; quid enim aptius fingi potuit quam Cerberum quod intranti

saevus erexisset corpus jam ira ad novi cantus dulcedinem residente stravisse? hoc enim sibi vult illud latus submisisse (Ovid. Met. III. 23. posuisse Remed. 508. Met. XIV. 709. deposuisse Cerd. Virg. Aen. VII. 107 p. 22 a. C. Val. Flacc. IV. 378) sive demisisse; armos, ut apud Senecam Herc. Fur. 793: latratu gravi Loca muta terret, sibilat totos minax Serpens per armos. Ulit. Grat. Cyn. 274 p. 193. Verum alio trahit et ipsius Senecae atque Ennodii comparatio et ejus erroris, quem supra I designavimus, recordatio. Quibus duabus rebus permoveor, ut antiquitus hoc proditum fuisse credam: centiceps spiras:

Demittit atras bellua centiceps
Spiras.

Quod ipsum Valerii Flacci VI. 396: spiramque Medusa Tercentum saevis squalentem sustulit hydris" aliorumque (Burm. IV. 393 p. 367 cf. Drak. Sil. VI. 276 p. 307) exemplis illustratum Heinsius Adv. III. 2 p. 411 sq. Senecae Herc. Oet. 1005: Temporibus atras squalidis spiras quatit" inferre ingressus est. Ceterum non temere suspicari videor ex ipso hoc loco, in quo inveteravisset aures, apud Claudianum Eutr. I. 136: canis — dejecit sordidus aures" in Clav. codicem et editionem Vicentinam fluxisse demisit. cf. LXI. extr.

VII.

Hinc labor ad versum III. 29, 64:

me biremis praesidio scaphae
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret geminusque Pollux,

quem in controversiam vocatum a Peerlkampio postquam nulla aut explicatione aut emendatione adjuverunt Meinekius et Hauptius, ausus est Lehrsius p. 110 ad hunc statum revocare: Unda ferat. Quo nihil imperitius proferri potuit; quam enim ille animo informasse videtur undae cognationem cum Aegaeo tumultu et biremi scapha consentientem et conspirantem? Jam quum ne mediocriter quidem quisquam Peerlkampii inventum: Astra ferent geminusque Polux" probaverit, quamvis eo exemplorum genere commendabile, de quo est illud: monstra geminosque angues (Axt. Spurinn. p. 112

sq.), placetne statui hunc locum satis firmam ejusdem vitii suspicionem habere, quod inveteravit in eo carmine, de quo modo (VI) absolvimus: tumultus s p i r a: „me — Spira feret geminusque Pollux?“ Nam „spira involucrum funium est, quod nautae suo more curcumam vocant“ Gloss. Mai. VIII. p. 580, quo genere in tempestatibus uti veteres consuevisse cum alii, inter quos Pacuvius est Inc. Fab. fr. 23 p. 107 Ribb. et Tertullianus Carm. de Jona et Ninive 42) docent tum E u r i p i d e s Iph. Taur. 1373: *Ἄλλος δὲ πλεκτὰς ἐξανῆπτεν ἀγκύλας* et P l u t a r c h u s de Garrul. X. p. 109. Vol. X. *νεὼς μὲν γὰρ ἁρπαγείσης ὑπὸ πνεύματος ἐπιλαμβάνονται, σπείραις καὶ ἀγκύλαις τὸ τάχος ἀμβλύνοντες.* S c h o l i a s t a A r i s t o p h. Equit. 756 p. 60, 49: *χειμαζομένων καὶ τὰ σχοινία ῥιπτούντων σὺν ταῖς ἀγκίλαις ἐπὶ θάλασσαν, ὥστε τοῦ κλύδωνος ῥύσασθαι τὸ πλοῖον.* Sed rem plerisque incompertam, a Scheffero Mil. Nav. II. 5 p. 151 et Heinsio Adv. III. 2. p. 411 levius commemoratam subtiliore cura explanavimus in Cinnae commentariorum ea parte, qua in Philolog. XX. (1862) p. 355 sqq. vulgata et eos locos, quos supra attulimus, restituisse videmur integritati suae et Euripidis Iph. Taur. versum 1361: *πάλιν ὦθει πρωρήσια* (Etym. M. p. 177, 48. Anecd. Paris. IV. p. 79. Schol. Lycophr. 295 Paris. et Vindob. p. 75 et Tzetz. p. 528). At in Horatio pingui Minerva, ut ajunt, agi quidquam nolumus.

Itaque molitione arbitramur opus esse ut majore ita ad propositi carminis formam magis accommodata. Videtur enim ante consignatum extitisse u p r i id est nomen librariis parum cognitum c u p r i: C y p r i, f e r e t autem pro f e r e s ea scribentium levitate provenisse, quam memorabili exemplorum copia in Stat. Ecl. ult. 58 p. 93 contestati sumus:

Tutum per Aegaeos tumultus
Cypri, feres geminusque Pollux.

Ut jam non lateat Horatio potissimum auctore — nam Pollionis ap. Charis. I. p. 77 versum sic corrigendum: V e n e r i e s t antistita C y p r i s“ differam in Cinnae commentaria I. 3, 1 — nomen C y p r i d i s usurpasse Ausonium, Prudentium, Sidonium Apollinarem, alios, quos commemorant Viri Docti Misc. Obss. II. p. 212 sp. Burmannus Anth. Lat. III. 40, 4 p. 484 (in cujus doctrina qui acquiescit Arntzenius Arator. II. 6.

p. 168 Arnobio non adjecit Tibullum III. 3, 34: faveas concha, Cypria, vecta tua"). Wernsdorfius P. L. M. IV. p. 322. et VI. p. 285.

VIII.

Redeo ad carmen II. 13, in cujus versu 16:

navita Bosporum
Thynus perhorrescit neque ultra
Caeca **timet aliunde** fata

quam vili arte usus Axtius Progr. Cruc. 1860 p. 21 proposuerit timetque, Lachmannus, cui suffragantur Meinekius, Hauptius, Lehrsius p. 55: timetve, non disputo: illud satis mirari nequeo doctissimis hominibus tolerabilem visam esse hanc sententiam: neque aut ultra aut aliunde caeca fata timet." Quare quo et expellatur illud aliunde (quod interpretandae vocis ultra gratia a grammaticis adjectum fuisse non incommode suspiceris cf. XX.) et numerorum integritas reparetur, consentaneum est hanc sententiam restitui: si navis certo cursu fertur, aliunde nauta nihil timet:

neque ultra
Caeca timet **rate eunte** fata.

Nam „verbum ire tutum et sine damno prosperum iter notat" Burm. Val. Flacc. I. 508 p. 98 cf. Heins. Ovid. Rem. 408 p. 748. Weitz. Val. Flacc. I. 271 p. 62.

IX.

Nec minorem mirationem ea res facit, quod ne Peerlkampius quidem in explicando versu II. 15, 6:

tum violaria et
Myrtus et omnis copia **narium**
Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori

ulterius progressus est, quam ut „extra satiram vel jocosum epigramma flores appellari posse narium copiam" negaret Tulerunt tamen, quod non est ferendum, Meinekius Hauptiusque; qui non tulit Lehrsius p. LXXXVII suo more sic se expediit, ut a scriptore aliquo deliro inertique hoc quoque te-

mere effutitum esse diceret. Longe alio vocat rectae doctrinae studium. Librariorum enim hic latet error, qui quum eo damni genere, quo cum alias voces (cf. VIII. XVII. Electt. Critt. p. 2 sq.) tum eas, quae a duabus consonantibus inciperent, affectas esse docuit Heinsius Virg. Aen. V. 620 p. 677 et X. 126 p. 490 sq., carpi coeptum esset vocabulum (g)rāinum, rāinum ad hanc speciem: narium deduxerunt ipsasque nares pro odoribus praebuerunt:

Myrtus et omnis copia **graminum**.

Ut est apud Martialem III. 65, 4: Gramina quod redolent, quae modo carpsit ovis, Quod myrtus, quod messor Arabs", quae spectant „ad thymum et id genus herbas complures odoratas, quo pastu ovillum pecus maxime delectatur" Heins. Adv. III. 12 p. 488, et apud eundem Martialem IX. 91, 1: Sic in gramine floreo reclinis." Sen. Med. 717: Quodcunque gramen flore mortifero viret." Calp. Ecl. II. 32: mihi Flora comas parienti gramine spargit." Burm. Anth. Lat. III. 51 p. 490 et Mantis. p. 734. Schrad. Ep. Crit. p. LVIII. Stat. Silv. II. 1, 160: Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi — lavere comam."

Quod autem Peerlkampius (quem sequitur Lehrsius p. LXXXVII) v. 14 improbat: Commune magnum, quo significari ait „civitatem magnam et potentem", non praeteream aliud fuisse judicium Salviani Gub. D. I. p. 12, 9: „quid ego de illis loquar, qui cura imperii propagandi contemptum propriae facultatis ad publicas opes conferebant et licet privatim pauperes essent, divitiis tamen abundabant communibus?" (qui locus Peerlkampium non minus fugit, quam Cic. Mur. 36, 76) ac Sarbievii II. 16 p. 68: Desideranti cuncta potentiae Commune nil est, esse suum putat, Quodcunque pulcrum est." Itaque quum usitata haec essent: in commune conferre, in publicum referre Nep. Timoth. 1, 1. „in medium certamine magno Privatae cumulantur opes" Sil. XII. 314, Horatius id sibi permisit, ut pro communi arca (Oud. Apul. Met. VII. p. 453) Graecorum sequutus consuetudinem (Alcidam. p. 64: εἰ μέν τις βλάπτει τὸ κοινὸν χρήματα ἑαυτῷ ποριζόμενος) poneret commune. De qua

insolentia nihil explicaverunt Munckerus Lact. Narr. Fab. XIII. 1. p. 872 et Oudendorpius Frontin. III. 2, 6 p. 325 sq. Denique non est omittendum similiter „privatus census — commune" dici atque I. 34, 13: insignem attenuat deus Obscura promens" atque alia ap. Burm. Lucan. II. 272. p. 103..

X.

De carmine II. 3, 9:

> Qua pinus ingens albaque populus
> Umbram hospitalem consociare amant
> **Ramis et** obliquo laborat
> Lympha fugax trepidare rivo

quae docti homines exprompserint, longum est exsequi: ramosque Bentlejus, G. Hermannus cannisque (quo magis obvium fuit morisque Lachm. Lucret. p. 372), ramis qua et Lambinus et Cuninghamus, quo et Orellius, ramisque et Hauptius, ramis, vide Hauthalius, quor pinus — ramis? quid obliquo —? Lachmannus, quo pinus — ramis? quid —? Meinekius, Seyffertus Muetz. Actt. ad gymnas. pertin. 1860 p. 579, Hauptius ed. tert.; quo — amant, errans ubi- obliquo — rivo, huc — "Lehrsius p. LXXV, qui si cognitos habuisset locos, quos ad Horatii exemplum expressos ipse jam proferam: Martial. IX. 91, 1: Sic in gramine floreo reclinis, Qua gemmantibus hinc et inde rivis Curva calculus excitatur unda" et Quintilian. Decl. XIII. 3 p. 274: rivus trepidantibus inter radiantes calculos aquis utrinque ripa virente praeterfluit" (omitto enim Sarbievium, qui IV. 7 p. 152: „vetustas Lacte novo trepidasse ripas" minus commode scripsit, quam III. 11 p. 100: „Illic laborat Phosphorus hospitas Laxare nubes." Epod. XI. p. 240: „Et leves lymphae trepidique grato Murmure rivi." IV. 25 p. 182: „Huc ades, qua te vocat hospitali Populus umbra" et Epod. XI. p. 239: „Obvium fessos nemus hospitali Excipit umbra"), futurum fortasse fuerat, ut promeret quod significantius rem indicaret: gemmans, ut Martial. l. d. Sil. IV. 352: Perstringit tacitas gemmanti gurgite ripas." Plin. Ep. I. 3, 1: quid πλατανὼν opacissimus? quid

Euripus viridis et gemmeus?" Sed praestat absolvere de ea ratione, quam olim ingressi sumus, cum in Aetnae versu 569: cernere quod pro cernereque ut inveterasse doceremus Theb. Parad. I. 3 p. 31. Tum enim intellexisse videbamur quid (codd. Bland.), quod, quo et, quoque scriptum esse aut pro — que ut, si Horatio idem licuisse credis atque Catullo, Virgilio, aliis, quos nominant Gifanius Lucret. Coll. p. 298. Silligius Catull. XI. 3 p. 22. Lachmannus Prop. IV. 2, 31 p. 238 sq. Hauptius Ind. Lectt. Berol. Hib. 1861 p. 61 sq., aut pro — que ubi; nihil enim permutatione vocularum ut et ubi frequentius Drak. Liv. XXIV. 15, 1 p. 570. Deinde quum minime ferenda esset inertia vocis ramis in extremam sententiam semotae, suspicari subiit eo erroris genere, de quo copiosius disseruimus Electt. Crit. p. 3 sq., ramis factum esse, quod esset rimās in hoc sententiarum ordine positum: Moriere seu moestus omni tempore vixeris sive per dies festos in remoto gramine te Falerni interiore nota bearis. Rimare igitur, qua pinus et populus umbram hospitalem consociare ament et ubi obliquo rivo lympha trepidare laboret: rimatus huc, dum per rem et aetatem licet, et unguenta et rosas ferre jube: Qua — ament Rimansque ubi — laboret." Quoniam autem in simili sententia Horatius dixit sectari I. 38, 3: Mitte sectari, rosa quo locorum Sera moretur", non quod invenimus apud Sidonium Apollin. Ep. II. 2 p. 104: epistola — totum ruris situm sollicita rimatur" cf. Barth. Nemes. Cyn. 49 p. 343. Oud. Apul. Met. V. p. 322, animus eo inclinavit, ut verbum et huic proximum (Oud. l. d. et II. p. 95) et usu Horatii cognitum (III. 25, 14: mihi devio Ripas et vacuum nemus Mirari libet." 29, 11: Omitte mirari beatae Fumum et opes — Romae" cf. Claudian. R. Pros. III. 226: Dum loca miratur, studio dum flagrat eundi") sive sic: umbram, quam hospitalem arbores consociant, mirans et ut laboret lympha, unguenta ferre, jube" vel: quo (cf. Adnott. Stat. Ecl. ult. 79 p. 126) — ament miransque ut — laborent" sive in eum modum, quem indicat atque adeo imperat Martialis l. d.: in gramine —, Qua — excitatur unda":

Qua pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant,
Mirans, quid obliquo laboret
Lympha fugax trepidare rivo,
Huc vina et unguenta et nimium breves
Flores amoenae ferre jube rosae.

Ut est III. 8, 2: „Quid velint flores et acerra turis Plena, miraris“, quem locum omiserunt Heinsius Claudian. Epith. Pall. 56 p. 529 et Burmannus Petron. 69 p. 449; huc autem, ut Carm. III. 1, 34. Epod. XVI. 59, quos locos attulit Lehrsius p. LXXV, et Sen. Ag. 143: „Quocunque me ira — feret, Huc ire pergam.“

XI.

Qui ad nocturnum ambitum, ut ait Claudianus l. supra III. p. 8 d., spectat versus III. 26, 6:

Hic, hic **ponite lucida**
Funalia et vectes et **arcus**
Oppositis foribus minaces,

eum insigni documento habemus, quam sit rectae eruditionis studiosus Lehrsius. Qui, quum locum sic, ut supra positus legitur, scriptum vitio affectum esse Bentlejus, ab Horatii arte longissime abhorrere Peerlkampius censuisset, quorum virorum praescripta auctoritate suum arbitrium temperare ac regere consuevit, eorum ne levissima quidem mentione facta sic omnem quaerendi et singula eruendi laborem subterfugit, ut universum carmen pro vero atque incorrupto haberet describeretque p. 104. Quod quidem carmen faciendum jam tandem est ut planissime intelligatur per librariorum levitatem et inscientiam omni vitiorum genere esse quasi obrutum.

Et primum quidem lucida funalia ut improbata Peerlkampio ita a Meinekio et Hauptio retenta (propter Silii exemplum, si quid recte suspicor, VI. 667: nocturnus honos, funalia clara“) quis tulerit praeter istum interpretem, qui funalia ita esse lucida, si accendantur, nuper docere ingressus est? Qui idem voci arcus id patrocinium, quod exquisiverat grammaticus cod. Regin., fortiter praetexuit nimium et con-

tra Bentleji subtilitatem invictus et doctior Welckero, qui „juvenes κωμάζοντας armatos fuisse“ negat Philostr. Im. I. 2 p. 206. Jam quid illud, quod nemo adhuc animadversione dignum duxit? cum recte atque ordine hoc fieri compertum habeamus, si quis defunctam bello lyram in templo suspendat, quis tandem pro certo exploratoque affirmaverit funalia et vectes ceteraque, quae amoris instrumenta vocant Acron et Porphyrion, quorum quidem usus nihil profuisset, a servis apportata Veneri dedicata fuisse? Quam porro commode animo informari putas poetam in expugnando puellae amore lepidissimis carminum illecebris illiberalium instrumentorum vim addendam ratum? quamque bello sunt spectaculo dominus ipse lyram suspensurus ac servorum turba in eodem pariete vectes funaliaque jamjam affixura? Quanto consideratius Sarbievius, perpetuus Horatii imitator, ad amicos haecce III. 32 p. 137: „Vixi canoris nuper idoneus Vates Camenis: jam citharae vetor Sermone defunctumque longo *Barbiton* ingeminare cantu. Jam feriata fistula cum lyra Dependet unco: rumpite tinnula Vocalis argenti, sodales, Fila supervacuosque nervos.“

Vides igitur quanta sit et rerum et verborum pravitas. In quam ut detorqueretur vera poetae oratio: hinc ite, hinc procul incita, effectum est levitate librariorum in unum conflantium, quae essent sejungenda. Si enim litteras, quae male coierunt, has: lucida sic diremeris: l ĭcida, facile agnosces vocem incita (sic enim supra I vidimus oderit scriptum pro non terit et VIII aliunde pro rate eunte vid. Quaest. de Tanusio Gemino IV. p. 28. Stat. Ecl. ult. p. 303), litteram l autem intelliges adjungendam iis litteris, quae supersunt exemplis hinc litteris ite, quae quum ab iis, quibus fraudi fuit vox hinc bis posita (hinc ite hinc), omissae supra adscribi coeptae essent, postea in verborum ordinem

ite

praepostere illatae esse videantur: hinc pcu, hinc ponite: (hinc ite) hinc procul.“ Quo quidem orationis genere quid aut frequentius aut aptius? Tib. I. 1, 89: Vos, signa tubaeque, Ite procul. III. 4, 3. 6, 7: Ite procul, durum, curae, genus, ite labores“ (Sarbiev. III. 16 p. 107: Ite mor-

daces, procul ite, curae"). 52: ite a me seria verba procul." II. 4, 15. Calp. Ecl. II. 55. Ovid. A. A. III. 505: I procul hinc, dixit, non es mihi, tibia, tanti" cf. Met. III. 562: Ite citi. Sil. I. 571. VII. 101. Drak. Liv. IX. 24, 9 p. 202. Stat. Conject. XIX. p. 266.

Jam si quaeris, qua ratione falsam istam arcus mentionem tolli oporteat, magnopere primum praedicandum est nomen Bentleji. Qui quam et ad sententiam hujus versus apposite et artis criticae praeceptis convenienter secures intulerit, a doctis hominibus videtur parum perspectum esse, quorum nemo indicavit inter (vecte) setarcus et (vectes) secureis parum interesse. Nec vero eo opus est molimine. Namque ipsae secures non nominari hic videntur, sed intelligi, si quidem artes (ad hanc enim speciem revocandum est illud arcus, quod antea fuerat arceis (cf. Valg. p. 437. Drak. Sil. XVI. 403 p. 821) dici violentiam fores vectibus et securibus effringentium aut facibus exurentium id est quavis machinatione (*Μαχανῖτις Ἀφροδίτη* Paus. VIII. 31, 3) expugnantium recte interpretamur vel Flori memores III. 3, 15: Annibalem artemque Cannarum." Claudian. III C. Hon. 61: cuspidis artes." Ouw. Noctt. Hag. III. 6 p. 404. Ergo qui et lyram emeritam Veneri dedicaturus est et vulgares comisantium artes odit, hoc tamen precatur, ut dea efficiat, ut fastosa puella semel ipso poetae amatoris fastu doleat gravissime.

Superest, ut dicam non marinae Veneri id est „mari ortae" (Acron. p. 360, 2) barbiton dedicaturum fuisse Horatium — alienissimum enim ab hoc loco id cognomen (IV. 11, 15) esse vere Peerlkampius vidit —, sed maritae, de qua commemoravit Ovidius Ep. XVI. 283: An pudet et metuis Venerem temerare maritam." Broukh. Tib. I. 3, 79 p. 74. Quorum vocabulorum permutationem proclivem esse docet Heinsius Claudian. L. Seren. 166 p. 520. In dextra autem Veneris parte Horatium suspicari licet arma sive barbiton positurum fuisse, si voti compos factus fuisset.

Ergo haec fuisse ab ipso Horatio scripta videor persuasisse:

Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Laevum **maritae** qui Veneris latus
Custodit. **Hinc ite, hinc procul incita**
Funalia et vectes et **artes**
Oppositis foribus minaces.

XII.

Marina Venus memoriam affert Cythereae Veneris, de qua est I. 4, 5:

Jam **Cytherea** choros ducit **Venus** imminente luna.

Supervacaneum est confutare Lehrsii p. XXXV commentum vere leve: ducit levis" aut quae proposuit Ruhnkenius Ep. Crit. I. p. 51 doctior ille Schradero Animadv. ad Mus. V. p. 159, quem et Peerlkampius praeteriit et Merrickius Tryphiod. 508 p. 403 sq., confirmare exemplis Il. Hom. Epit. 309: quem ni caligine caeca Texisset Cytherea Venus" atque etiam Theodori Bedae Eleg. IV. p. 30: Nunc, Cytherea Venus, dic mihi, cujus ero?" aut Symmachi Epist. I. 8 (Wernsd. V. 3 p. 1379) versu 8: innatat choreis Amathusias renidens — Flos sideris Dione" Nonnique XXXIII. 25 ***Ἀδωνιὰς ἔννεπε Κύπρις***. Videor enim vere explicare posse, quae in illo cognomine consistat vis orationis. Quemadmodum enim „hibernam Lyciam Xanthique fluenta Deserit ac Delum maternam invisit Apollo Instauratque choros" (Virg. Aen. IV. 143 cf. Heyn. Exc. IV. 2 p. 717), ita Venus recte creditur vere revisere insulam omnium dilectissimam (Nonn. XLI. 108), in quam primum mari advecta fuisse fabulis traditur Hesiod. Theog. 192: *πρῶτον δὲ Κυθήροισι ζαθέοισιν Ἔπλητο*. Atque ut Virgilius Aen. III. 161: non haec tibi litora suasit Delius — Apollo" ad oraculum spectat in Delo insula conditum Arnobiusque IV. p. 143: Numquid ex pelagi spuma — Cythereiae Veneris concretum coaluisse candorem" candorem dicit, quo insignis Venus primum apud Cythera emicuit, et simili instituto Ausonius Epigr. LVI. Cnidiam Cyprida dixit, ita qui Cythereamn Venerem choros vere ducere scribit, is in ipsa insula Cytheris tum saltare deam dicit, ut alio

tempore in Libano monte Nonnus *Λιβάνου — ὅπη Κυθέρεια χορεύει* IV. 82. Schrad. Animadv. ad Mus. VII. p. 168 sq. Vere primo autem Venus choros instaurare sic perhibetur (cf. Mitsch. Hor. p. 63. Jahn. de Rapt. Europ. p. 43), ut Bacchus (Wernsd. Him. Or. XIII. p. 597) et Apollo (Wernsd. Avien. D. O. 705 p. 1036 sq.). Quid jam referre attinet aut Wakefieldi opinionem Lucret. IV. 586 p. 302 „ferias amatorias rati significari, quas noctu exercerent, ne mortalium oculis contingerentur", aut Calpurnii locum, quem ex Horatii carmine expressum esse non fugit Titium v. 16 p. 661. 18 p. 662 et Torrentium p. 20: „Vere novo — Protinus hiberno pecus omne movebis ovili —. Tunc Venus, et calidi scintillat fervor amoris. — Tum cespite vivo Pone focum Geniumque loci Faunumque Laremque Salso farre voca: tepidos tunc hostia cultros Imbuat."

Jam de versibus 7. 8:

dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens **urit** officinas,

in quibus alii probant visit, nonnulli, quibus jam adstipulatur Lehrsius p. XXXVII, urget, breviter sic absolvam, ut quod Nonnus II. 229 retulit his: *ἠθάδα Λῆμνον ἐάσσας Σὸς πυρόεις Ἥφαιστος ἀπειθέα γούνατα σύρων Ἀ βραδὺς ἀστήρικτος ἔχει δρόμον* cf. Hom. Il. XVIII. 411, id videri his ab Horatio proditum esse pronuntiem:

dum **in** graves Cyclopum
Vulcanus ardens **se urget** officinas.

Neque enim obscurum est, quid sequutus poeta pro alterultro eorum, quae multi saepe posuerunt: se ferre, se agere, sumpserit id, quod invenitur etiam apud Avienum Arat. Progn. 315: major se denique nimbus Urgebit coelo" et Manilium V. 585: Hinc vastis urgent immensi torquibus orbes", ubi Voss. sec. praebet vasti surgent (Bentl. surgunt), quo longe deteriora sequutus Jacobus: vasti turgent immensis torquibus orbes" non vidit scribendum hoc esse: se urgent. Cf. Stat. Theb. II. 222: Turbidus aetherias currus urgebat ad arces." Sil. XII. 419: ad manes urget vestigia nati. XV. 688: pondera conti — adversos urgebat in hostes." Ovid. Fast. VI. 520: ad vocem concitus urget iter (Sarbiev.

IV. 3 p. 144: quo supremum Urget iter"), a quo qui concitus dicitur, ardens dicitur et ab Horatio et ab Virgilio iis locis, qui fugerunt Lehrsium p. XXXVI, Aen. II, 41: Laocoon ardens summa decurrit ab arce." 529: illum ardens infesto vulnere Pyrrhus Insequitur." Nec magis illud obscurum eam orationis insolentiam tantae fuisse librariis et mirationi et fraudi, ut alteri urit sufficerent, quod litteris non multum discrepans (Hor. Epist. I. 13, 6 urit sarcina. cod. Coll. Trin. urget. Burm. Claudian. Mall. Praef. 10 p. 241. Cort. Lucan. V. 811 p. 695. Oud. Apul. Met. V. p. 331. Arntz. Eumen. Pan. 10, 4 p. 273) cum multis placuit tum Toupio, Huschkio Anal. Crit. Tib. p. 303 sq., Meinekio, Hauptio, alteri in ipsum verborum ordinem reciperent id, quod interpretandi gratia appositum invenissent: visit, quod usurpatum video a Sarbievio II. 20 p. 73: Vere novo (Jovis armiger) — Magna patris relegit vestigia fulminumque late Circumtonantes visit officinas." Quod autem scripsimus: dum in *graves*, — se urget, id factum esse excusate documento videntur esse, quae infra XXXVII proferentur.

Quoniam autem de nocturno visendi labore Lehrsius p. XXXVII unius Scholiastae Apoll. Rhod. III. 41 testimonio interposito idem disserit, quod addito Thucydidis III. 88 loco docere occupavit Toupius Epist. Crit. p. 114, non omittenda videtur, quam Bernhardyus attulit, Beckmanni sententia in Apparatu Minut. Annott. p. 349 arbitrati hic significari metalla verno tempore recoli solita. Nam Rosetum, qui „in Horatii verbis Vulcanum esse tropice ignem" affirmavit, jure reprehendit Boissonadius Anecd. III. p. 277 et in Greg. Cor. **περὶ τρόπου** p. 770.

XIIII.

De carmine IV. 10:

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae cum veniet **poena** superbiae,
Et quae nunc humeris involitant, deciderint comae,
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,

Mutatus, Ligurine, in faciem verterit hispidam,
Dices, heu, quotiens te speculo videris alterum,
Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit,
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?

Lehrsius sic defunctus est p. CXXXII, ut profiteretur sibi improbari et bruma et ruga, placere poena. Quod a Withofio excogitatum suo ipsius invento, id quod ignorat Lehrsius, praetulit Marklandus Explicatt. Vett. Auct. Gr. et Lat. p. 259 laudaruntque Boschius Anth. Gr. V. p. 166 et Eldikius Suspic. p. 31. Immerito. Quid enim? quod tandem librariorum genus credibile est voci ad intelligendum planissimae poena suffecisse nomen nec in ea sententia, cujus auctor est falsus iste Acro p. 417, 2 (Porphyr. 15): plumam pro barba posuit" vehementer pugnans cum vero Acrone p. 416, 25: de Ligurino juvene loquitur, quo modo in senectute contristetur"), apud veteres receptum et mira litterarum dissimilitudine insigne? Jam iste verborum ordo: cum veniet poena tuae insperata superbiae et comae deciderint, Dices heu —" num ullo potest ferri pacto, quum poenam appareat in eo ipso positam esse, quod dicendum aliquando sit: heu — quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit?" Ac quod aliquando futurum est, ut comae decidant et color mutetur, eane res videtur posse dici insperata? an tu censes puerum minime fastosum hoc habiturum fuisse praemii, ut ne senectus quidem comarum humeris involitantium honorem decuteret? denique illa: cum veniet Et — deciderint — et — verterit inter se congruere nemini facile persuaserit Schraderus Animadv. ad Mus. XVIII. p. 312; neque enim Meinekii Hauptiique et plerorumque omnium silentium nobis pro argumento est. Itaque repudiata voce pluma, quam recte in equestris elegantiae descriptionem contulit Sarbievius I. 11 p. 21: Quid levem galeam juvat Plumarum volucrem ferre superbiam", hic nescio qua ratione freti retinuerunt Meinekius atque Hauptius, suscipiendum omni favore est, quod sagacissime Bentlejus indagavit: bruma; sed res solerter inchoata sic perficienda est atque excolenda, ut sententiarum ordo instituatur hic: O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens, qualem te senectus spe celerius ventura inveniet! Quae ubi aderit,

et comae deciderint et color purpureus in faciem hispidam verterit. Tum quidem dices: heu, quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit?

O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae **quem** **inveniet** **bruma** superbiae!
Et quae nunc humeris involitant deciderint comae
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae
Mutatus, Ligurine, in faciem verterit hispidam.

Quam praeclare enim hiemis mentioni subnectatur mutatus color et coma caduca, Graecorum poetarum exempla declarant, quae Bentlejum fugit addere Ovidii loco, de quo dixit Dresemius Jos. Isc. III. 341 p. 74, Ep. V. 34: Pessima mutati coepit amoris hiems", Pauli Silent. Epigr. 8: *Σὸν γὰρ ἔτι φθινόπωρον ὑπέρτερον εἴαρος ἄλλης· Χεῖμα σὸν ἀλλοτρίου θερμότερον θέρεος* cf. Olear. et Boiss. Philostr. Ep. 73 p. 190 sq. et Macedonii Anth. Pal. XI. 374, 7: *ὡς δὲ ῥόδον θαλέθεσκες ἐν εἴαρι· νῦν δ' ἐμαράνθης Γήραος αὐχμηρῷ καρφομένη θέρεϊ* cf. Blomf. Aesch. Ag. 79 p. 170. Boiss. Aristaen. Ep. II. 1 p. 623. Hor. Carm. I. 28, 19. Sarbiev. II. 2 p. 46: tibi cum nivosae Bruma senectae In caput seris cecidit pruinis, Decidet numquam" et quod alibi legitur *ἕσπερός ἐστι γυναικῶν Γῆρας* Dorv. Charit. p. 296 cf. Ast. Plat. Legg. VI. 14 p. 310. Ut nullus relinquatur locus ei dubitationi, quam attulit Marklandus l. d. De vitii autem origine comparare commodum est et versum Carm. III. 27, 71: tibi invisus. Vanderb. 6 m. pr. visus et 75, de quo infra XXXIV dicetur: fortunam in. codd. fortunam. tua, et quem modo XII disceptavimus, I. 4, 7: dum in graves et quae verba sic corrigenda (I. 11, 6) esse: Tyrrhenum, incipias" LXXXIII docebimus. Alios ejusdem modi locos congessimus Conject. Stat. XIII. p. 209.

XIV.

Nondum absolvimus de carmine I. 25, quod supra III obtinuimus fere hoc contineri sententiarum ordine: Primum facilis fuisti, ut multum pateret janua (v. 5); mox fastosa facta es: inde jam parcus noctis ambitus et rari cantus: erit, mihi

crede, tempus, quo invicem moechos anus fleas." Verum de eo ipso versu (11), qui de anu est fastus superbos passura:

Invicem moechos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu
Thracio bacchante **magis** sub inter —
lunia vento

nemo adhuc exprompsit quod liqueret: nisi quis ab eo aliquid dictum putet esse, qui bacchari magis nuper voluit esse bacchari vehementius, aut satisfactum interpretandi negotio ab Wolfio Liban. Epist. 1242 p. 589 et Klotzio Tyrt. p. 111 (cf. Barth. Stat. Theb. IV. 422 p. 1074. Burm. Anth. Lat. V. 40 p. 337), qui hoc loco indicari „Thracios insultus vehementissimos" docuerunt, vel a Turnebo, qui „homines libidinosos per intermenstruum i. e. per ventum et tempestatem jucundius amoribus perfrui" narrat Adv. XXVI. 36 p. 945 sq. cf. Schneid. Theophr. T. V. p. 518. Quibus aliquanto plus vidit Usenerus Mus. Rhen. XXIV p. 340 hoc ab Horatio scriptum fuisse arbitratus: Thracio bacchante vagans sub interlunia vento." Quod inventum quominus probetur prohibet vel mentio angiportus. Videtur autem sententiae perspicuitas ita demum reddi, si tollatur quod vitium penitus insedit eorum levitate, qui litteras manēs in magis (cf. Schwarz. Plin. Pan. 51, 2 p. 216) converterunt:

Flebis in solo levis angiportu
Thracio bacchante **manens** sub inter —
lunia vento.

Ut levis anus dicatur in angiportu (Catull. 58, 4) vel furente Borea manens (cf. Afran. ap. Non. III. 104: ventoso in loco"). Quid enim sit manere, declarat ipse Horatius Carm. I. 1, 25: manet sub Jove frigido Venator." Heins. Ovid. Art. A. II. 238 p. 615 et Val. Flacc. II. 138 p. 161. Gron. Sen. Benef. III. 17 p. 156 cf. Scriv. Martial. III. 48 p. 93. Barth. Stat. Theb. II. 593 p. 558. Verum haec et talia nomina aversati quidam malent laudari nostratem ejus fabellae auctorem, quae Puella de Ponte Novo inscribitur.

Quod superest: Lehrsius p. LV. p. 29 de voce magis nihil dubitationis injecit. Sed v. 5, quo fastus puellae indicaretur, scripsit: quae prius nulli facilis movebas cardines'

(cf. III p. 7) verba illa: amatque janua limen vitiose ita scribi suspicatus. Scilicet janitricem, credo, vir doctissimus Lydiam fuisse sibi persuaserat.

XV.

Quae in carmine III. 23 extremo leguntur:

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica,

quum Guieto et Peerlkampio assensus Meinekius ab Horatio abjudicasset, Lehrsius p. CXXII sq. sic retineri posse pronuntiavit, si in locum vocis immunis insontis sufficeretur nec intellexit se rem molitum multo deteriorem, quam si fretus Ovidii exemplo Pont. IV. 2, 19: Pectora sic mea sunt limo vitiata malorum" et Sarbievii III. 1 p. 88: nascitur et viti Sincerus illimisque morum". vocem librariorum vulgo incognitam inlimis commendare ingressus esset. Quanto circumspectior Seyffertus Muetz. Actt. ad res gymn. pertin. 1860 p. 586 subtiliore disputatione (nescio an Hauptio probata) id efficere studuit, ut immunem eum dici, qui esset inofficiosus, ingratus (Att. ap. Cic. p. Sest. 57, 122. Halm. p. 277), sententiam autem hanc subesse intelligeretur: si inofficiosa manus aram tetigerit, hostia oblata diis non gratior erit, quam exiguum, quod eadem manus obtulerit, munus, id est: utrumque sacrificium diis aeque ingratum erit." Nostrum quidem judicium hoc est eundem hic latere errorem, quo litteras n, u et li cum multis in locis tum apud Lactantium Theb. II. 404: avus. Monac. alius permutatas esse docuimus in Stat. Ecl. ult. 24 p. 37. Quod igitur antiquitus proditum fuit:

Immunis aram si tetigit **malis**,

id ut in hanc, quam cernimus, speciem simillimam (quantulo enim discrimine differunt malis: māus?) corrumperetur, factum est vocis mala insolentia. Nam malis immunem dici non solum eum, qui aerumnis et periculis immunis sit (Burm. Lucan. VIII. 704 p. 591. Sen. H. F. 214: numquid immunis fuit Infantis aetas?), sed hominem vitiis caren-

tem (Bentl. III. 27, 39) quotumquemque librariorum credis compertum habuisse exemplis Luperci Anth. Lat. III. 74, 10: votum insaturabile habendi Imbuit infami pectora nostra malo" et Phaedri III. 8, 15: Tu formam ne corrumpas nequitiae malis" et quem attulit Burmannus p. 187, Lampridii Sever. 38: Ut fias animi malis repulsis Pulcher" ac Senecae Thyest. 349: metus et diri mala pectoris." 94: neve furiali malo Aspergite aras: stabo et arcebo scelus." Petron. fr. p. 868: cordis mala livor atque luxus." Nec minus librarios fefellit res ne nunc quidem satis explicata; quum enim consuetudo hoc ferret, ut scriberetur: qui immunis malis est, si tetigit aram, farre pio penates mollivit", hoc tamen, quod posuimus, reprehensione caruisse docent Horatius Epist. I. 5, 13: Parcus ob heredis curam nimiumque severus Assidet insano." III. 20, 15: Qualis aut Nireus fuit aut aquosa Raptus ab Ida." Claudianus L. Ser. 142: Non talem — Alcinoo genitam." Seneca Vit. Beat. 6: beatus est judicii rectus" id est „beatus is est, qui rectus judicii est" et quos commemoravit Naegelsbachius Stil. Lat. p. 73; nam copiosius de eo genere explicabimus in Cinnae commentariis I. 3, 1, qua Ovidio Trist. II. 433 haec reddenda esse obtinebimus: Quid referam Ticidae, quid Memmi carmen, apud quos Rebus adest nomen nominibusque pudor — Et quorum in libris modo dissimulata Perillae Nomine nunc legitur dicta, Metelle, tuo."

XVI.

Quae in carmine I. 31, 14 extant:

Dis carus ipsis, quippe ter et quater
Anno revisens aequor Atlanticum
Impune,

in gravissimam vituperationem adducta his: nimis a vero abhorret tot itinera quotannis facta, etiamsi mare Atlanticum ora occidentali Mauritaniae hic finias" Peerlkampius ejecit collaudatusque omni verborum honore est a Meinekio et Lehrsio p. LX et Heynemanno de Interpol. p. 25. Quo magis mirum est doctos homines voci impune adeo non intendisse,

ut omnino lateret hanc a poeta esse expromptam sententiam: Dis carus ipsis, quippe rate fragili (Carm. I. 3, 10 et Sen. Med. 302), ligno gracili (Stat. Silv. III. 2, 80. tenui Sen. l. d. 306) id est alno (Claudian. R. Pros. I. Praef. 3. Barth. Stat. Theb. III. 23 p. 672. Drak. Sil. XII. 521 p. 622) vel exterum mare (Sen. Nat. Qu. IV. 2: nunc vero tota exteri maris ora mercatorum navibus stringitur") ter et quater impune revisens:

quippe ter et quater
Alno revisens aequor Atlanticum
Impune.

Contra atque in hoc loco apud Claudianum B. Gild. 57: Pensabam Pharium Gaetulis messibus annum" erratum est in Petav. pr.: Phariam — alnum cf. Burm. Lucan. IX. 736 p. 663.

XVII.

De ejusdem carminis versu 12:

dives et aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra **reparata** merce

quum interpretibus multa molitis parum successisse intellexisset Peerlkampius exprompta hac conjectura: Vina Syra reparanda merce" tamen hoc fecit judicium: verius arbitror hominem, quum propter metrum non potuerit scribere parata, scripsisse reparata." Assensumque omnino praebuit Meinekius; quatenus mutandi verbi reparata ille auctor suasorque extitit, Lehrsius p. LVI. Quasi vero mentio vina Syra merce commutantis (sic enim ajunt Acron et Porphyrion) id est venumdatae mercis apte congruat cum descriptione ejus opulentiae, cui semper adjunctum fuisse constat unguentorum usum Mitsch. Carm. II. 11, 16 p. 457 et III. 1, 44 p. 18. Quare manendum fuit in Bentleji auctoritate, vitium autem, quod ille non indagavit, indagatum quidam hoc commento: piperata, Withofius hoc: pretiata expellere frustra studuit, sic tollendum, ut verbum reparata ad pristinam speciem revocaretur hancce: preparata (sic enim consignatum est in omnibus Reposiani libris Ven. et Mart. Concub. v. 181:

reparans cf. Quintil. Decl. XIII. 7 p. 280 reparavero. Leid. Voss. praeparavero. add. perarare: properare Burm. Ovid. Met. IX. 563 p. 668), properata:

Vina Syra **properata** merce.

Quam sententiam satis firmare videor exemplo Silii XIII. 892: Pocula furtivo rapiet properata veneno", fortasse etiam Quintiliani Decl. CCCXXI p. 646: potionem hanc non quotidianam et qua omnes utimur, sed medicamentis permixtam et oneratam" (videtur enim hoc fuisse properatam) cf. Columell. X. 116: Sectaque (radix) praebetur madido sociata lupino, Ut Pelusiaci proritet pocula zythi." Longius igitur cum hoc loco discrepat locus II. 7, 24: quis udo Deproperare apio coronas Curatve myrto" et quos composuimus Stat. Conject. XIX. p. 269. Quoniam autem morem unguenta vino admiscendi (quem morem paucis perstrinxit Bentlejus, pluribus edisseruerunt Salmasius Exerc. Plin. p. 500 sq. Erhardus Petron. p. 868. Perizonius Aelian. V. Hist. XII. 31 p. 147 sq.) hic indicari apparuit, ne hoc quidem obscurum est, quod non assequutus est Lehrsius p. LX, recte in eodem loco commemorari Syram mercem et Atlanticum mare.

XVIII.

Versum Carm. I. 37, 23:

nec latentes
Classe cita **reparavit** oras

antiquitus sic scriptum fuisse:

nec latentes
Classe cita **rapere ivit** oras

singulari disputatione comprobavimus Subsicivorum capite II. p. 4—7 (Progr. Friedl. 1854). Cujus sententiae minime nos poenitet, postquam Linkerus hoc protulit: Clam penetrare paravit oras", Ecksteinius ap. Muetz. Actt. ad gymn. pertin. XIII. p. 157: reparavit iras, Meinekius: Sollicitare paravit, Lehrsius p. LXXI vel hoc apte scribi sibi persuasit: Re trepida penetravit oras", alii, ut Lenhoffius Animadvv. in aliquot Hor. locos p. 10. Progr. Rupin. 1858 et

Hauptius verbum reparavit in loco retinuerunt. Inclinaverat autem eo animus, ut confusa in hoc loco arbitrarer commentaria (Subsic. p. 5) et eorum grammaticorum, qui incorrupto judicio Horatii versum his enarrarunt: non est dignata fugere in intimas sui regni partes (classe cita id est *ἄρασα τὸν στόλον ὑπερνεωλκῆσαι καὶ καθεῖσα τὰς ναῦς εἰς τὸν Ἀραβικὸν κόλπον μετὰ χρημάτων πολλῶν καὶ δυνάμεως ἔξω κατοικεῖν ἀποφυγοῦσα δουλείαν καὶ πόλεμων* Plut. Anton. 69 cf. Virg. Aen. VIII. 711: Nilum — vocantem Caeruleum in gremium latebrosaquo flumina victos"), et eorum, qui quod nulla vocis latentes ratione habita turbatoque sententiarum, quem instituerat poeta, ordine (generosius perire quaerens nec ensem expavit nec latebras cita classe petiit) legentium levitate jam tum supponi coeptum erat: reparavit, non incommode sibi revocare visi sunt ad illam memoriam Dionis Cassii LI. 5 p. 636, 89. Vol. III. p. 14: *ἐπεὶ δὲ ἐν ἀσφαλεῖ ἐγένετο - δυνάμεις τε ἐξηρτύετο καὶ συμμαχίας περιεσκόπει.*

Verba quidem et perspicua et integra esse probant primum Persius V. 141: trabe vasta Aegaeum rapias. Statius Theb. XII. 220: magno Megareia praeceps Arva rapit passu." Silius III. 308: campumque volatu — rapuere." Virgilius Aen. III. 477: Ausoniae tellus: hanc arripe velis." Barth. Stat. l. d. p. 1462. Heins. Tac. Agric. 8 p. 750 et Claudian. R. Pros. III. 188 p. 619, deinde praeter eos, quos commemorant Heinsius Claudian. l. d. 386 p. 634 et Ruf. II. 98 p. 74. Burmannus Val. Flacc. VI. 647 p. 565 alterque Burmannus Prop. I. 1, 12 p. 12. Drakenborchius Sil. IV. 795 p. 238, Lentzius de Verbis Lat. L. auxiliaribus p. 11 Propr. Regiom. 1863, ipse Horatius Epod. XV. 9 (ut XIX dicemus), Statius Silv. IV. 4, 61: ibis frenare cohortes. V. 3, 10: facta attollere regum Ibam. Theb. III. 626: ventura — Pandere moestus eo." Corippus Jo. IV. 819: calidas sic cernere Syrtes Vaditis", denique Nemesianus Cyn. 29: Ivit in arboreas frondes." Corippus Jo. IV. 107: ivit moriturus in hostes." 657: hosti tamen obvius ivit. 173. 840. 882. 1068 et Halieut. fr. 95 p. 184 Wernsd. transivit. Statius Silv. II. 1, 155: manesque subivit. Ausonius Clar. Urb.

6, 12. Epist. XXXII. 4 obivit cf. Lachm. Lucret. I. 92 p. 23.

XIX.

De Epod. XV. versibus 7 sqq.:

Dum pecori lupus et nautis infestus Orion
Turb**arit** hibernum mare
Intonsosque agit**arit** Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum

qui quaesiverunt, nihil enuclearunt, quo ad veri indagationem proficeretur. Unde factum est, ut ad novas quasdam artes illa justae disceptationis molestia se expediendi descenderent Peerlkampius et Lehrsius: quorum ille ipsos versus 9. 10: Turbarit — capillos tollendos censuit, hic p. CXXXIV. p. 157 statuit intercidisse cum dimidiatis partibus versuum 7 et 9 ipsum eum versum, qui medius fuisset:

Dum pecori lupus . . . . .
. . . .
. . . . et nautis infestus Orion
Turbarit infestum mare,
Intonsosque agitarit Apollinis aura capillos —.

Nos quidem exiguo conatu et proclivi, ut pluribus dicetur Emendd. Prop. V. 2, aegras partes videmur refecisse:

Dum pecori lupus et nautis infestus Orion,
Turb**are et** hibernum mare
Intonsosque agi**tare it** Apollinis aura capillos.

Ut indicetur aurae (euntis Nemesian. Cyn. 277. Sil. III. 228) hoc esse, ut et hibernum mare turbet et Apollinis, ut ait Sarbievius IV. 26 p. 182, comas libera persultet cf. Theocr. V. 91: λιπαρὰ δὲ παρ' αὐχένα σείετ' ἔθειρα (cui loco non intendit Peerlkampius). Valck. Eur. Hipp. 201 p. 185. Mitsch. III. 20, 14 p. 204. Clav. Claudian. III. C. Hon. 36 p. 114. Strictim autem attingam rem ab interpretibus omissam. Recte enim dici: dum pecori lupus infestus est et turbare mare aura it, fore amorem mutuum" declarant vel Silius X. 526: socium mandari corpora terrae, Postera cum thalamis Aurora rubebit apertis, Imperat" et Tacitus Ann. XV. 59: Quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rempublicam."

XX.

Ex iis, quae grammatici sive interpretationis sive comparationis gratia adscribere consuevissent, in ipsa Horatii carmina labis aliquid fluxisse et supra (I. II. IV. VIII. XII. XVIII) suspicati sumus et ex aliis locis videtur non temere colligi. Quorum ordinem ducam a versu I. 17, 22:

nec **Semeleius**
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia.

Quod enim pro incorrupto atque integro diu omnes habuerant, id in vitii suspicionem tandem adduxit Hanovius in suo de Theophrasti Charact. libello. Adversus quem quae Bergkius Philol. XVI. 4 p. 631 interposita fide Hostii ap. Macrob. VI. 5, 8: Apollo Latonius et Statii Silv. I. 2, 220: Semeleius Evan disputavit, ea nihil valere ipse Hanovius Mus. Rhen. XVI. 2 p. 314 vere docuit ille quidem falso sibi visus nomen Semeleius in haec duo commode diduxisse: nec semul (simul) Euhius. Quae Linkero valde probata ferri tamen nullo pacto possunt; quam enim vim prae se ferre dices voculam simul aut qua ratione legentis animum isto Euhii cognomine apparari ad percipiendam mentionem Thyonei? Adeone difficilis fuit ad investigandum et detegendum eorum error, qui quod interpretandi nominis Thyoneus gratia adscriptum invenissent Semeleius (hoc enim tradunt fabularum auctores: Semele, Cadmi filia, quae et Thyone dicitur" Mythogr. II. 79 p. 102, 1. Wess. Diod. III. p. 231, 42. Schoemann. Opusc. II. p. 155 sq.), insigni litterarum similitudine, qua congruunt leius et levis et Semeleius et stimulis levis vel stimuli levis (Drak. Sil. V. 363 p. 271) inducti in ipsum eum locum intulerunt, qui haberet voces

nec **stimulis levis**
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia

ab Horatio in hanc sententiam scriptas: qui stimulis levis est deus non est periculum ne proelia sua cum Martis proeliis confundat? (cf. Pacat. Pan. XXXIII. 1: Actiaco aliquando bello ducibus moribusque Romanis peregrina Aegyptus arma per-

miscuit." Sil. IX. 431: mutasse piget majore sub hoste Proelia"). Ut apud Virgilium est Aen. VII. 405: Reginam Alecto stimulis agit undique Bacchi." Stat. Theb. X. 166 et Claudian. Eutr. II. 46.

XXI.

Neque alia ratio est perpoliendi versum I. 28, 24:

At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti **inhumato**
Particulam dare.

„Hiatus qualis hic est in dactylico numero ne minimam quidem offensionem habere" visus est Meinekio Hauptioque. Qui mallem aemulati Sarbievium I. 24 p. 82: Jam fractus illabetur orbis Sacrilego capiti: i, profunda — pollue Tartara" hanc fecissent mutationem: capiti heu inhumato" (cf. eus Adnot. Stat. Ecl. ult. p. 288). Nec vero, id quod fecit Lehrsius p. 32, consilio suffragor Peerlkampii et Axtii, qui in Conj. Homer. 20 Progr. Crucen. 1860 scribit: incidisse sibi in mentem eandem emendationem: capiti intumulato et eodem tempore, quae Peerlkampio inciderit." Pro certo enim affirmaverim quod interpretationis gratia adscriptum fuerat vocabulum: inhumato, insedisse pro eo, quod librariis parum cognitum:

Ossibus et capiti **male nudo**

illustre fit maxime Statii usu, ut Theb. XII. 216: Heu si nudus adhuc, heu si jam forte sepultus." Lucani IX. 64: o bene nudi Crassorum cineres." 157: Omnia dent poenas nudo tibi, Magne, sepulcra." Hieronymi V. St. Pauli I. fol. 109: utrum tectum putresceret cadaver an nudum." Claudiani B. Gild. 403: nudi pulvere Manes. Senecae Tro. 894: nuda totis ossa quae passim jacent Inhumata campis." Barth. Stat. Theb. XII. 193 p. 1858. Cort. Lucan. VI. 550 p. 94 et VIII. 434. p. 337. cf. Pric. Apul. Met. VIII. p. 314.

XXII.

Neque aliam medendi rationem flagitat versus IV. 5, 17:

Tutus bos etenim **rura** perambulat,
Nutrit **rura** Ceres almaque Faustitas.

In quo loco alii rura (perambulat) retinuerunt, ut Meinekius Hauptiusque, alii, ut Faber, Peerlkampius, Lehrsius p. CXXVIII, maluerunt legi prata, Bothius tuta; contra Bentlejus hoc proposuit: nutrit farra, Cuninghamus, Wakefieldus, Eichstadtius culta. Tam magna autem diversitas inde nata est, quod omnes fugit ab ipso Horatio hoc scriptum fuisse:

Tutus bos etenim **regna** perambulat,

pro eo autem alterum eorum vocabulorum, quae explicandae voci regna grammaticis visa sunt idonea: rura et prata (cf. Heins. Claudian. Nupt. Hon. 60 p. 177), inveterasse eo facilius, quod rura et regna permutare librarii solerent Tit. Nemesian. Ecl. l. 2 p. 453. Burm. Claudian. Ruf. I. Praef. 12 p. 28 et Lucan. IX. 129 p. 617. Regna autem eodem modo usurpavit Virgilius Georg. III. 228: stabula adspectans regnis excessit avitis" cf. et Stat. Theb. VIII. 597. V. 333. Barth. Achill. I. 471 p. 1679 et quos Epist. de Domitii Marsi Cicuta p. 5 commemoravimus, Cerd. p. 18 et Burm. p. 22 in Virg. Ecl. I. 70 et Burm. Quintil. Decl. XIII. 2 p. 272 ac Plin. Ep. VII. 3, 2. Denique illa: nutrit rura Ceres" (quae Sarbievius I. 5 p. 9 sic immutavit: Faustitas Secura frugum rura perambulat") bene latine dici, id quod negat Bentlejus, probat Silius XII. 375: Jchnusa — propensae Cereris nutrita favore."

XXIIII.

Ejusdem modi vitio liberandum est carmen l. 38, 5:

Simplici **myrto** nihil adlabores
Sedulus curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus neque me sub arta
Vite bibentem.

Quod enim miror omnes aequo animo tulisse bis deinceps positum, id ab Horatii elegantia alienissimum concedere jam jubeo ei voci, in cujus locum vicarium istud myrto per grammaticorum operam (cf. Paschal. Coron. VII. 19 p. 515. 18 p. 511) substitutum esse facile perspiciatur:

Simplici **ramo** nihil adlabores.

Reliqua autem longe alia ratione sunt constituenda, quam cu-

jus suasores extiterunt Bentlejus: nihil adlabores Sedulus, cura" ac Meinekius Hauptiusque: Sedulus, curo" (qua enim arte satis tuebere sortem mire ambiguam vocis sedulus verbis adlabores et cura sive curo mediae interpositae?) aut Cuninghamus et Wakefieldus: Sedulus curae" vel Peerlkampius: adlabores. Sedulum curae neque te ministrum" Lehrsiusque p. LXXII. p. 40. Consentaneum enim est per certas et deformatas quasdam partes orationem ad summam eam proficere, quam ostendunt haec: te ministrum, me bibentem:

Simplici **ramo** nihil **adlabores**.
Sedulus **cura**: neque te ministrum
Dedecet myrtus neque me sub arta
Vite bibentem.

Habes jam heri fortius imperantis et vinum properantis vocem similem notissimae illi: serva (Adnot. ad Stat. Ecl. ult. 46 p. 72): curare enim verbum esse mensae et convivii" (Drak. Liv. XXVIII. 14, 7) quis est qui nesciat? Cf. Tib. I. 5, 33: hunc sedula curet — ministra."

Ab illis autem verbis, quae nonnullis placuisse diximus: sedulus curae (cf. Sarbiev. I. 4 p. 8: Sedulus metae"), licet deflectere ad locum doctorum contentionibus maxime memorabilem IV. 6, 17:

Sed palam **captis** gravis, heu nefas heu,
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis,

ubi Achillem illum impigrum et acrem nec coeptis umquam excussum dictum esse coepti gravem:

Sed palam **coepti** gravis

(cf. Sil. III. 176: coepti lentus." Claudian. Eutr. I. 350: gravior morum. Hor. l. supra XX d.: stimuli levis) comprobavimus Stat. Conject. XII. p. 206. Quamquam alii fortasse malent coeptis gravis, ut levis frenis, alia Drak. Sil. V. 363 p. 271 cf. Stat. Conj. VII p. 184.

XXIV.

Ejusdem generis exemplum adjicio II. 8, 18:

Adde quod pubes tibi crescit omnis,
Servitus **crescit** nova.

Prope piget referre a Lehrsio LXXX hoc: „Servitus ut sit nova" conjectatum esse non imperiose magis, quam incaute atque inconsulte: oportuit enim restitui hoc, quod promptum est et exiguo conatu efficitur:

Servitus **gliscit** nova.

Documento sunt Servius Virg. Aen. XII. 9 p. 56: gliscit) crescit" cf. Barth. Stat. Theb. VIII. 755 p. 939 et Vetus Scholiasta Theb. IX. 781 p. 1082: audacia gliscit) incrementum capit", quemadmodum pro eo, quod Statio placuit, alii sumpserunt audacia crevit Heins. Ovid. Met. VIII. 82 p. 552. Burm. Anth. Lat. V. 144 p. 438. Claudian. Eutr. II. 393: periclum Gliscere. Medic. 4 crescere. Quod contra factum est apud Florum de Qual. Vit. IV. 14. Wernsd. *III.* p. 486: Crescit arbor, gliscit ardor." cod. gliscit arbor.

Neque aliam esse originem nominis Carthaginis IV. 8, 17 vocisque inmiserabilis III. 5, 17 ac verbi revictae IV. 4, 24 et evenit IV. 4, 65 infra XXXVI. XXXVII. XLIII. L. comprobandi copia erit. Add. LII. LVIII. LXI.

XXV.

Quod et alios non mediocriter in versu I. 4, 16:

Jam te premet nox **fabulaeque Manes**

aut explicando aut emendando laborare et Hamacherum Emendd. Hor. Progr. Trevir. 1858 Faerni sententiae: fabulaeque inanes patrocinari non desisse, Usenerum autem Mus. Rhen. XXIV p. 343 hujus mutationis: frivolaeque Manes" auctorem extitisse video, non alienum est commonefacere, quae olim Theb. Rer. Spec. p. 27 disputata probaverimus Eckseinio Jahn. Ann. Vol. XVI p. 105. Quibus adjicere licet Quintil. Decl. VIII. 22 p. 188: sive inter fabulosa supplicia metuendus adhuc laceratione discurris." X. 8 p. 220: non fabulosa vatibus palus multumque celebrati curvato igne torrentes." Martial. IX. 45, 3: Ecce Prometheae rupes et fabula montis

Quam prope sunt oculis nunc adeunda tuis." Senec. Cons. ad Marc. 17: illam fabulosam Charybdin — celebratissimum carminibus fontem Arethusam." Epist. 45: nec me Charybdis et Scylla et fabulosum istud fretum deterrere potuisset", denique ipsum Horatium, cujus commemoratio nihil profuit Orellio p. 38, I. 22, 7: quae loca fabulosus Lambit Hydaspes" (id est fluvius, de quo fama et fabulae" Lips. Sen. Ep. l. d. not. 2 cf. Jan. Art. Poet. p. 88: fabulae h. e. fabulosae, de quibus multa narrantur"). Verum enimvero ut potiora haec sint iis, quae alii disputarunt, vera esse jam adeo non pugno, ut et Peerlkampium aliquid dixisse concedam, qui de fabuloso, inquit, verum est, de fabula dubito", et Meinekio assentiar, qui „corruptelae signum" apposuit ipsis iis verbis, quae sic a Persio et Prudentio lecta fuisse satis mirari nequeo quod Bentlejus pro certo putavit crediderantque cum multi tum Peerlkampius et Lehrsius. Sic autem statuo: verba et Manes (quae et Acro praebet et duo Dorv. codices: fabulaeque et Manes") eo modo, de quo vel ex Theb. Parad. II. 8 p. 246 sq. existimatur et ex Psello Daem. p. 19: ἐπὶ τῶν ἐνόπτρων ὁρᾶν, ubi „verba in codd. GABD addita ἐνόπτρων καὶ τῶν σπέκλων. C. ἐςόπτρων σπέκλων esse glossema" intellexit Boissonadius p. 234, interpretandae voci umbrae (quam apud Prudentium Cath. V. 135 cf. Heins. Adv. I. 17 p. 168: Umbrarum populus" in aliquot libris videmus successisse voci functorum cf. Sen. Octav. 958: tristes mittet ad umbras Ferus et Manes") a grammaticis fuisse adscripta, inde in ipsum versum illata hoc effecisse, ut haec, quae et in omnibus jam libris cernimus et scriptor Epigr. Anth. Lat. V. 219, 10 (II. p. 250 Meyer.): ad domus trahat invidas Averni, Fabulas manes ubi res coercet" mutuatus est: fabulaeque Manes Et domus — Plutonia", pro iis erumperent, quae ipse Horatius in hanc sententiam scripta reliquisset: aliquando te, beate Sexti, nox premet: neque enim umbrae fabulae sunt et exilis atque inops conviviisque vacua est domus Plutonia" sive libet Juvenalem II. 149: Sunt aliquid Manes et subterranea regna" (Burm. Prop. IV. 7, 1 p. 827) propius sequi: fabulae sunt neque umbrae nec exilis illa Plutonis domus:

Jam te premet nox: fabulae neque umbrae,
Et domus exilis Plutonia.

Quales fabulas intelligi vult Seneca Cons. ad Marc. 19: cogita illa, quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse". Sen. Tro. 404: Tartara et aspero Regnum sub domino — Rumores vacui verbaque inania Et par sollicito fabula somnio" cf. Barth. Claudian. Stil. III. 71 p. 285. Burm. Petron. 76 p. 491. μῦθοι καὶ πλάσματα Wytt. Julian. p. 167. Boiss. Basil. p. 64 Not. Mss. XI et Zachar. p. 447. Jac. Achill. Tat. p. 407 sq. cf. Claudian. Sec. C. Stil. 70: Haec fabula certe Cuncta forent." Falluntur igitur et ii, qui voces exilis et Plutonia ejusdem ordinis esse dicunt, Bentlejus, Schraderus Animadv. ad Mus. XII p. 218, Weichertus Ep. Crit. de Val. Flacc. p. 53, alii, et Burmannus, qui quum de exili Plutonis domo recte explicet in Petron. 71 p. 460 cf. in Val. Flacc. I. 782 p. 134 (non item in Claudian. B. Gild. 153 p. 215) omissa Arnobii VII. 19: neque ulla sub terris regna esse domicilium Plutonis", priorem versum in hunc modum scriptum affert *Ovid.* Ep. X. 112 p. 144: Jam te prement nox fabulaeque Manes." Quid jam referam Lehrsium p. XXXVIII contemptis artis criticae praeceptis hoc properasse: Jam te manet nox?" Qui egregie facit Horatium beato Sextio bene praecipientem jam moribundo, non aliquando morituro. Ut satius fuerit illam Tibulli sententiam: Mors tacito clam venit atra pede" huc transferre: Clam te premet nox."

Breviter perstringam Bodaei Theophr. Hist. Plant. VI. p. 696 et p. 652 et Paschalii Coron. III. 3 p. 139 subtilitatem, qui v. 10 violam intelligi tam perverse statuerunt, quam consulto de myrti mentione v. 9 facta putavit explicandum Wernsdorfius Prooem. de Pervig. Ven. p. 433. Omitto autem mirificum istum Wakefieldi de v. 14 errorem: o beate, Sexti" Silv. Crit. IV. p. 148.

XXVI.

Idem vitii genus dubito an ad carmen I. 15, 36:

Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos

(cf. Lucan. X. 61) pertinuerit; verisimilius enim duco hoc olim lectum fuisse:

uret Achaicus
Ignis **Trojugenum** domos

(ut Virg. Aen. III. 550: Grajugenumque domos" cf. Lucret. I. 476: Nec clam durateus Trojanis Pergama partu Inflammasset equus nocturno Grajugenarum"), quam vulgatiora illa nomina Pergameas, quod in Pulmanni Mss. repertum maxime auctore Oudendorpio Peerlkampius amplexus est cf. Lehrs. p. 22, aut Dardanias, quod invenio apud Senecam Tro. 872: Dardaniae domus Generosa virgo" cf. 135. Agam. 612: Cum Dardana tecta Dorici raperetis ignes." Sil. XII. 608.

Eadem suspicio incidit de nomine Vaticani I. 20, 7:

ut paterni
Fluminis ripae simul et jocosa
Redderet laudes tibi **Vaticani**
Montis imago.

Quod et Sarbievio probatum video III. 1 p. 87. IV. 9 p. 160. 20 p. 173 et hic cum ab omnibus retentum tum a Luebkero p. 145 et Meinekio p. XLI atque Hauptio. Scilicet Lachmannus (cujus auctoritas non valuisse apud Lehrsium videtur) audacter hoc Lucret. I. 360 p. 37 pronuntiaverat: nominis secundam syllabam Horatius corripuit, quia vulgo ita dicebant: postea Martialis et Juvenalis eandem syllabam extenderunt." Quasi vero inter Martialis varia poemata et Juvenalis satiram nihil intersit, Juvenalis autem ejusdem ordinis sit atque Prudentius, qui sic posuit vocem delibutus (Valg. p. 449), aut ii, qui dispondeum fecerunt parricidas, matricidas Vinet. Auson. p. 217. Voss. Aristarch. I. 20 p. 193. Valg. p. 222 add. Arator. I. 192, disciplinas Luxor. 74, 1 p. 618. Equidem proprio nomine appellatum hic non magis, quam Tiberim v. 5 sq., arbitror Vaticanum. Qui mons fuit proximus et Tiberi et theatro Pompeji, de quo ipso testis est Porphyrio p. 83, 5: Vaticanum autem montem non longe a theatro Pompeji esse scimus, quem resonuisse simul cum ripis Tiberis plausu populi dicit." Unde facilis cum aliarum vocum, qui-

bus Vaticani importunitas tolli commode posse videatur, tum harum conjectura:

simul et jocosa
Redderet laudes tibi **ter propinqui**
Montis imago.

Ut ter resonuisse dicatur imago Vaticani montis. Ac fortasse erit, qui ipsum Vaticani nomen eo cupidius arreptum esse statuat, quo facilius proximae vocis similitudine vox ter intercipi potuisse videatur cf. Ovid. Fast. III. 563: ter ad ossa. Cod. m. m. pr. tibi ad. Lion. Serv. Virg. Georg. IV. 495 p. 511.

Succurrit etiam de III. 4, 70:

Testis **mearum** centimanus Gyes
Sententiarum

tale aliquid suspicari. Quae enim fastidii plena atque insipida quam maxime esse de Peerlkampii potissimum auctoritate dictitant cum alii tum Meinekius, Hauptius, Lehrsius p. CII, Heynemannus de Interpol. p. 29, ea non modo tolerabilia, sed probabilia videntur fieri, si voci mearum interpretationis loco a librariis adjectae (qua non incommode usus est Sarbievius IV. 9 p. 159: Testis mearum vivida Bencii Thalia laudum") statueris concessisse vocem harum (cf. Sin. III p. 61), inde intercidisse verbum sit:

Testis **sit harum** centimanus Gyes
Sententiarum.

Ut apud Ovidium est Fast. VI. 765: Sint tibi Flaminius Trasimenaque litora testes Per volucres aequos multa monere deos." Heins. Ep. XVII. 140 p. 252, qui idem alterum illud, quod usu frequentius fuit: sidera sunt testes" et: testis Metaurum flumen", idonea exemplorum copia illustravit Fast. IV. 885 p. 302. Sententias autem, id quod Peerlkampius parum percepit, intelligi Horatius vult eas, quibus ipsi dii planum fecisse ac probasse videantur a se vim temperatam adjuvari et provehi, odio haberi et puniri vires omne nefas animo moventes. Quod nomen cum in judicio tum in poena et condemnatione poni Wopkensius docuit in Sedul. V. 204 p. 230 cf. IV. 246 p. 197 sq. et in Paulin. Petrocor. V. Martin. IV. 360 p. 892. His autem ita deliberatis supersedeo et de

centimani Gyae mentione pluribus expedire et jactare Gratii Cyn. versum 64: matres ausi tractare deorum" (Heins. Adv. II. 2 p. 212), ex quo videatur Peerlkampius (fortasse immemor Statii Theb. XI. 12: temerator) potuisse aliquid suspicari de Orione Dianae tractatore.

XXVII.

Eadem emendandi ratio videtur ingredienda esse, quo de carmine IV. 14, 7 tollatur vox non minus ad sententiam ignava, quam versus numeris damnosa (rectius enim sentit Lehrsius p. CXXXIII, quam Frankius Fast. Horat. p. 171):

Spectandus in **certamine** Martio
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis.

Expedita enim conjectura ducimur ad suspicandum a grammaticis quod esset vulgatius: certamen (Virg. Aen. XII. 73, 790. Ovid. Met. VIII. 20: rigidi certamina Martis." Sil. IX. 136: Poenoque negat certamina Martis" cf. 370: mediae certamine pugnae." V. 574. Virg. Aen. X. 146 et Val. Flacc. VI. 576: certamina belli." Wopk. Justin. I. 3, 11 p. 22) interpretando nomini turbine adscriptum fuisse (Heins. Adv. IV. 5 p. 602. Sil. II. 4: quos turbine Martis Abstulit una dies." XI. 101: Confuse nimis Gradivi turbine." V. 350: tutis a turbine pugnae Constituit castris" cf. IV. 230: medius — pugnae vocat agmina vortex. XI. 523. Claudian. III. C. Hon. 36 Oxon.: turbine belli cf. Sen. Agam. 197: rerum turbo), id ipsum autem subinde in medium versum illatum abolevisse vocem proxime superiorem, quae cum litteris in cer (parum enim differre irae docet frequentissima litterarum ce et a cf. V et vocum minae et irae Drak. Liv. IX. 7, 3 p. 58 permutatio cf. Claudian. R. Pros. III. 266 iram. Moret. pr. inde) non plus discreparet, quam turbine vel turmine Drak. Sil. III. 277 p. 264 cum (cer)-tamine:

Spectandus **irae** in turbine Martio.

Itaque talem dicit Horatius Neronem, qualem Labicum Silius V. 569: viridissimus irae" (cf. VI. 574: venerandus irae).

558: Acrius hoc pulchro Mavorte accensus in iram“ et Poloniae regem Sarbievius IV. 38 p. 204: Qualis minaci praefuris impetu Et quantus irae. 29 p. 187: quantus armis in media quoque Formosus ira. Epod. XI p. 238. Isse — captivos — Gelonos — tropaeum Nobilis irae. — decora Caede formosus mediaque laudum Pulcher in ira Ardet.“ Namque „ira saepe in milite est virtus et calor juventutis, ut centies apud Statium“ Burm. Lucan. VI. 155 p. 398. „audacia aut virtus“ Barth. Adv. V. 15 (Sil. V. 46 p. 245).

Licet aliqua addere, quae fugerunt Peerlkampium; Lehrsium enim silentio transmitto difficultatibus levandis adeo imparem, ut in versus 17—24 ferro grassaretur (cf. XLV). Liberam mortem enim invenimus apud Senecam Agam. 591: cum pateat malis Effugium et miseros libera mors vocat“, quem versum Oudendorpius comparavit cum Lucano VII. 818: libera fortunae mors est“; quibus insolentius est illud Ammiani Marc. XX. 8, 9: „libero pectoris muro, ut ita dixerim, septus“ cf. Lactant. M. Persec. 47, 3: quasi ad devotam mortem, non ad proelium venissent“; verbis ruinis fatigare autem similia posuisse Statium Theb. IX. 280: Mille modis leti miseros mors una fatigat“ et Josephum Isc. VI. 448: mille licet mortes hinc inde fatigent.“ 233: duplicique fatigat Morte animam.“ 253: fulmineo Phrygios mucrone fatigans.“ Ruinas quidem dici clades docuit Barthius Stat. Theb. III. 43 p. 682. Sil. III. 206: caedesque virum magnaeque ruinae Idaei generis. VI. 29: magna pugnam inclinare ruina. Sarbiev. IV. 4 p. 145: Pro quantis — Moldavici tegis arva campi Thracum ruinis.“

XXVIII.

Ne Meinekio quidem in carmine I. 31, 5:

Non aestuosae **grata** Calabriae
Armenta

ontigit ut quod jure reprehensum pravo conatu Peerlkampius d hanc formam deduxerat: Graja, probabiliter repararet hoc ivento: lata, quod Lehrsius casu aliquo id, quod Horatius osuerat, abolevisse opinatus hoc modo sibi visus est p. LX

melius fecisse: spissa. Quorum neutrum ne mediocriter quidem placet. Sic enim institutus rerum ordo tulit, ut proprie et distincte indicaretur, qualia illa essent Calabriae armenta. Apud Romanos autem nulli unquam triumphorum celebritati aut solemni deorum placationi defuisse illius generis quasi quandam necessariam ad sanctitatem accessionem, quod in Faliscis aut Calabris nutritum et candidum esset et intactum, quis est quin auctoribus vel Cerda Virg. Georg. II. 146 p. 312 sq. Tiraquello Alex. ab Alex. Gen. D. III. 11 p. 690. Wouwero Petron. 105 p. 628 sq. compertum habeat? Quae laudes adeo non potuerunt separari, ut apud Virgilium Aen. VI. 38 in locum intacti gregis niveum gregem imprudens sufficeret Macrobius Sat. IV. 2. Inde suspicari subiit, quod a vetere enarratore adscriptum fuisset: cretata (notum enim illud Lucilii: Cretatumque bovem duci ad Capitolia cf. Cram. Schol. Juven. X. 66 p. 389), id in ipsum verborum ordinem illatum esse ea levitate et imminutum (creta Calabriae) et mutatum (creta: grata), cujus documento praeter alios locos, quos in Emendd. Prop. V. 2 proferemus, sunt versus Claudiani Nupt. Hon. 303: gratae rediere vices. Wolf. V. L. Antverp. c̄tae et Lucani III. 219 certior. Barb. gratior, ab initio autem vocem hanc consignatam fuisse:

> Non aestuosae **intacta** Calabriae
> Armenta,

ut apud Virgilium l. d.: grege de intacto." Maluit igitur Horatius ut Epod. IX. 21: tu moraris aureos Currus et intactas boves", ita in hoc loco intactas boves praedicare, candida armenta Claudianus VI. C. Hon. 506: Clitumni sacras victoribus undas, Candida quae Latiis praebent armenta triumphis." Quibus rebus exquisitis videtur vel hoc Meinekio praeferendum fuisse: clara (cf. Gron. Sen. Mort. Claud. p. 344. Claudian. B. Get. 350 rara Ceres. Jun. clara. Oxon. cruda. Epith. Pall. 65: grata senectus, quod ante fuisse cruda Emendd. Prop. l. d. docebimus) vel sacra Burm. Ovid. Ep. XXI. 91 p. 312.

Simile quiddam suspicari licet de carmine I. 20, 10:

Caecubum et prelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

De quo versu laborare supersedit Lehrsius p. LIII sq. in parte a Peerlkampio monstrata festinantius exspatiatus ita, ut hic quoque significaret a tirone scholastico effutitum temere id carmen esse, de quo universo nimirum sibi ipsi non liqueret, postquam inesse nequaquam inepta omnium, quos in legendis Horatii poematis deinceps versatos esse novimus, consensus judicavit. Quare faciendum est, quod et huic tempori maxime congruit et per se modestius ac reverentius est, ut eluantur, quae jam penitus inveteraverunt. Quod igitur in extrema ejus carminis parte positum satis placuerat Bentlejo: Tu bibes, id Doederlinius, cui suffragantur Hauptius et Teuffelius, sic expoliendum censuit: Tum bibes, Buechelerus autem huc ex Carm. III, 21, 6 et Epod. 13, 6 hoc: Tu moves" repetiit verissime, ut visum est Heynemanno de Interpol. p. 49; denique Kruegerus Mus. Rhen. 1871 hoc proposuit: Tu liques. Equidem laudo novam hanc, quam vir doctissimus quaesivit, molitionem, improbo ipsum id, quod machinatus est, quo commoditas orationis atque urbanitas videatur parum adjuvari. Quid autem fieri potest aut elegantius aut justius, quam ut verbum bibes ex superiore loco, ubi pro interpretatione positum erat, ut temere ita invitante ipsa litterarum similitudine illatum jam tandem expellamus easque resecemus litteras, quae ex contagione illius noxae remanent? postquam enim verbum bibes sibi assumpsit uvam ex commodo immutatam praesertim tam secunda nominis mea (uvamea) vicinia, fieri non potuit quin ea labes pertineret ad duo illa: Caecubum et domitam. Restituendum autem dico esse verbum nec litteris, ut supra diximus, illi, quod ejiciendum censuimus, multum dissimile et paulo insolentius hoc:

Caecubo et prelo domita Caleno
Tu lites uva.

Quo eodem modo peccatum esse apud Aldhelmum p. 862: Thuriscare jubet munusque offerre Dianae" testatur Gronovius Obss. Eccl. XX. p. 222: „Et hic obsidet a scholiis in-

culcatum; nam membranaceus: munusque litare Dianae." Litare autem ipso carminis argumento intelligitur idem esse atque Genio litare, Genio sacrificare (Mitsch. III. 17, 14 p. 185 cf. Stat. Theb. IV. 390: tua progenies positis gentilibus armis Quae tibi festa litat), litare Caecubo autem dictum est, ut et litat vario latice et amplexibus litare rudi Amori, alia Oud. l. d. laude litamus Rutil. I. 45. Quamquam non defuturos esse arbitror, qui Caecubum et uvam retineri malint memores eorum, qui dixerunt sacra, exta litare Broukh. Prop. IV. 1, 24 p. 376. Gron. Sen. Ag. 577 p. 571. Oud. Apul. Met. VIII p. 541. munus litare Aldhelm. l. d. Cf. LXXXIII.

Novo igitur documento patefactum est, quam multo Horatius et commode et insolenter invenerit. In quam partem subtilius quaerendi studia doctissimorum hominum etiamnum mirifice cessant. Veluti ut usum vocis imago praeteream immerito a multis reprehensum (cf. Meinek. Vindic. Strab. p. 175 et Hor. p. VIII), ab ipso Peerlkampio, cui assensus est Meinekius, vim verbi temperare parum recte definitam esse his: temperare significat alicui rei nimiam vim adimere", argumento sunt loci et Horatii Epod. XVII. 80: Desiderique temperare poculum" et Statii Theb. II. 130: laxatque genas et temperat ungues (Glossogr. p. 335: ne sint nimis hebetes, acuit." Barth. IX. 828 p. 1096) et Silii I. 213: Felix qua pingues mitis plaga temperat agros. Virg. Georg. I. 110: scatebrisque arentia temperat arva. Claudian. Prob. et Olybr. 260: Oebaliae qui temperat arva Galesus." Hegesipp. IV. 27: Nilus — arva temperat, votum opimat." Qui autem haec: nec Falernae temperant vites neque Formiani pocula colles" ineptissime scripta esse contendunt, quum non explicaverint, id quod omnino explicandum fuit, qua tanta captus dementia scholasticus iste poeta, quem sibi animo informarant Horatii simulatorem, Formianum collem pro Formiano Baccho usurpaverit, addiscant jam Horatio, qui vites et colles memoravit, longe audaciores fuisse eos, qui lacernas loquuntur, quae totiens Tyron epotavere (Valg. p. 434), pocula Tago perfusa Sil. XVI. 451, Hispaniam fulva intextam — veste Tagum Clau-

dian. Pr. C. Stil. II. 230. solitam rubro radiare mari L. Seren. 3. canos cineres, quos Setia restinxit Stat. Silv. II. 6, 90. accisam Nemeen umbrosaque Tempe praecipitata solo Theb. VI. 88. Rhodopen in undas descendentem 195. arundinem Herculeis vadis imbutam Joseph. Iscan. VI. 233 et quae addentur in Emendd. Prop. II. 1. cf. Burm. Grat. Cyn. 314 p. 212.

Eosdem — licet autem Lehrsium p. LIV adjicere — immodicos in voce modicis reprehendenda mirum est nec Diomedis memoria: modice ductos esse ad eam explicandi rationem, quam suppeditat Martialis Domitiani moderationem his laudans IV. 8, 10: Ingentique tenet pocula parca manu", nec eo profecisse, ut intelligi vellent cantharos minus lautos neque aureos (Apul. Met. X. p. 708), qualibus constat usos esse modicos cives (Schwarz. Plin. Pan. 83 p. 430. Cort. Lucan. VII. 267 p. 183) cf. Stat. Silv. V. 1, 121: Ipsa dapes modicas et sobria pocula tradit — conjux Agricolae parci" Hor. Epist. I. 5, 2: modica-patella. Arntz. Sedul. p. 26. A qua sententia se non abhorrere Teuffelius, vir ingenii subtilitate insignis, nuperrime (Mus. Rhen. 1871) professus est. Nec jam aliud nos quaerimus: nam non anceps modo et lubrica est conjectatio ejus vocabuli, quod in promptu nobis fuit inventum in Varronis Satira περὶ μέθης p. 273: Dolia atque apothecas tricliniares, melicas Calenas, obbas et Cumanos calices", sed prava atque inutilis, si vere nobis persuasimus obrutam hic esse vocem lagenas (cf. calones: Lacones Oud. Frontin. IV. 1, 6 p. 408), universum locum autem sic reconcinnandum: apothecas tricliniares: Creticas lagenas (Schol. Juvenal. XIV. 27 p. 531. Meurs. Cret. I. 3 p. 74. 9 p. 103), Calenas obbas et Cumanos calices."

XXIX.

Ejusdemmodi locum subnectere licet hunc IV. 4, 15:

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem
Dente novo peritura vidit.

Cui graviter afflicto nihil profuit Bentleji sagacitas duo haec moliti: jam mane. jam sponte" aut Lachmanni Mus. Rhen. 1845 p. 616 institutum: jam (macte)", nedum illa commenta, quae indicavit Peerlkampius ipse capream procul ab ubere matris pascuis intentam dici interpretatus, aut quod per artem non ante vulgatam nuper protulit Lehrsius p. CXXVIII: non ante depulsum." Quare quum et Reisigium Comm. Crit. de Soph. Oed. Col. 517 p. 266 allatis exemplis Eur. Herc. F. 10: *ἣν πάντες ὑμεναίοισι Καδμεῖοί ποτε Λωτῷ ξυνηλάλαξαν* et Soph. Aj. 310: *κόμην ἀπρὶξ ὄνυξι συλλαβὼν χερί* adversus Bentlejum frustra disputasse videam et utrumque vocabulum intelligam non posse componi nisi hac ratione, quam iniit Statius Theb. VI. 186: primo fraudatum lacte juvencum, Cui trepidae vires et solus ab ubere sanguis", sic nostrum fert judicium: quod a grammatico adscriptum fuerat: lacte illo quidem cum aliorum, quos attulit Bentlejus, tum Virgilii exempla recordato Ecl. VII. 15: Depulsos a lacte — agnos" et Georg. III. 187: depulsus ab ubere matris (cf. Ovid. Fast. IV. 459 et Paulin. Nat. XIII. 67: virgo — quam matris ab ubere raptam — dicavit." Sil. IX. 71: relicti Matris in uberibus nati"), id in locum ejus vocis insinuasse, quam ne litteris quidem omnino dissimilem ab ipso Horatio positam fuisse his videor evincere. Habeo enim quos in medium afferam a Peerlkampio quoque neglectos non modo Claudiani versus, quos imitatione non ex Statii potius Thebaide IX. 740, ut visum est Barthio p. 1072 et Claudian. p. 509 cf. Gulielm. Brit. II. 262 p. 103 et Claverio p. 118, quam ex Horatii carmine expressos esse vel leviter moniti omnes concesserint, hos III. C. Hon. 77: „Ut leo quem fulvae matris spelunca tegebat Uberibus solitum pasci, quum crescere sensit — Ungue pedes et terga jubis et dentibus ora, Jam negat imbelles epulas et rupe relicta Gaetulo comes ire patri stabulisque minari Aestuat", verum etiam Statii locum, unde non dubia lux Horatio videatur affundi, hunc VIII. 573: Sic Hyrcano leo Caspius umbra Nudus adhuc nulloque jubae flaventis honore Terribilis magnique etiamnum sanguinis insons Haud procul a stabulis captat custode remoto Segne pecus teneraque famem consumit in agna." Ubi vigor leonis adulti

et paene puberis ea monstratur ratione, qua a Martiale vituli vigor III. 58, 11: Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam" (cf. Sen. Herc. F. 142: nondum rupta fronte juvencus." Ovid. Am. III. 13, 15). Quemadmodum igitur in altero Thebaidis loco (IX. 741) novi ungues referunt illa Horatii verba: Dente novo, ita commemoratio leonis nondum jubae honore insignis non perplexe dirigit ad suspicandum in eo, de quo quaeritur, versu ab ipso poeta haec fuisse posita:

matris ab ubere
Jubam ante depulsum leonem,

quibus praecipua generositas indicaretur leonis uberibus usque ad eum finem pasti, dum juba subnasceretur (Plin. VIII. 16, 17: tunc cum colla armosque vestiunt jubae: id enim aetate contingit"). Hoc enim velle verba: ante jubam docent cum alia multa exempla, quae congesserunt praeter Peerlkampium I. 18 p. 92 Burmannus Lucan. VI. 145 p. 396 Cortiusque p. 28. Boissonadius Plan. Met. p. 544. Kayserus Phil. V. Soph. p. 232. Koechlyus Act. ad Stud. Antiq. pertin. 1841 p. 707 sq. Lobeckius Aglaoph. p. 1191. Wannowskius de Metonym. Progr. Pos. 1860 p. 23, tum Hesiodus Theog. 450 μετ' ἐκείνην (id est postquam ea apparuit). Himerius Or. V. p. 496 πρὸ βασιλέως (id est ante visum regem). Nemesianus et Rusticus Elpidius, qui dixerunt post membra Wernsd. L. Herc. 11 Vol. IV. p. 283 et T. V. p. 1448 sq. post juvenem Silius VII. 596. De voce jubam autem in hunc, quem cernimus, modum attenuata satis est attulisse et id, quod supra I edocuimus, et Statii locum Theb. IV. 141: pavet Ossa vias. cod. Frising. jubas. Et in hac quidem sententia nunc acquiescimus; ante succurrerant haec: in tesqua depulsum" et in caute; cautem enim, ut Silius III. 296 (de quo vid. Varii de Morte Eclog. Reliqq. p. 14 not 3 cf. Virg. Aen. VI. 471: Marpesia cautes", quae verba leviter immutavit Arnobius II. 24: Marpesia, ut dictum est, rupes") videbatur Horatius dixisse, quam Claudianus l. d. modo matris fulvae speluncam, modo rupem, ut Ovidius Fast. II. 209. Senec. Herc. Oet. 242. cf. Oppian. Cyn. III. 50 παρὰ τέρμασι πέτρης. Bochart. I Hieroz. III. 2 p. 735 sq., Statius l. d. antra.

Licet adjicere rem a Barthio Claudian. l. d. omissam: simul Statii Claudianique, id quod non animadvertit Ritters-

husius p. 42, et Horatii v. 1—12 vestigia sequutum Guntherum Ligur. I. 677 haec scripsisse: Regia sic volucris primas ut crescere plumas Artubus et teneros durescere senserit ungues, Naturae sectatur iter, jamjamque parentum Officio contemnit ali nidoque relicto Egreditur parvoque pudet latuisse cubili: Mox confisa sibi securo tuta volatu Aut leporem venatur agris aut aethere cycnum Corripit." Gunthero subjungo Sarbievium II. 20 p. 72. Qualis ubi — Audax hiulci fulminis satelles Vere novo teneras Aquilonibus experitur alas Terrasque nescit immemorque nidi Magna patris relegit vestigia."

XXX.

Neque alia via perveniri videtur posse ad restituendum locum perdifficilem II. 20, 6 sq.:

Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem **vocas,**
Dilecte Maecenas, obibo.

De quo multum et varie est quaesitum. Namque et quid significet verbum vocas, ambigitur cum ab aliis tum a Peerlkampio, qui vult hanc inesse sententiam: Audio vocem tuam, dilecte Maecenas. Me vocas. Veniam", et conjecturas periclitati sunt — ut omittam Jeveri Lucan. I. 331 p. 86 commentum — Nodelius: quem foves, Bergkius Mus. Rhen. XIX. p. 605: cui vacas, Hauptius: quem vocant, Seyffertus ap. Muetzell. Actt. ad gymnas. pertin. 1862 p. 226 sq.: quem colas" idemque mutata jam sententia, ut ipse per epistolam nuper mihi indicavit, alteram hanc: quem vetas i. e. vetas mori, qualem syllepsin cerni addidit in Ep. I. 2, 34: si noles sanus, curres hydropicus." Madvig. §. 478. not. 2. Desperavit rem Lehrsius, qui carmen quippe per omnia ineptum ab Horatio abjudicavit p. XC sq. In alia omnia discedendum videtur. Sic autem existimo: comparationem versus ejus, qui extat Carm. II. 4, 18: non illam tibi de scelesta Plebe dilectam", a grammatico sive studioso quodam, ut ait in III. 20, 1 Bentlejus, factam eo valuisse, ut dilecte fieret, quod fuerat (quē vocas) de plebe:

non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, **quem evocas**
De plebe, Maecenas, obibo.

Ut similiter dicatur Horatius a Maecenate plebi exemptus esse atque in Paneg. Pis. 238: Maecenas — Evexit Varium, Maecenas alta tonantis Eruit et populis ostendit carmina vatis" cf. Claudian. Pr. C. Stil. II. 121: non obruta virtus Paupertate latet: lectos ex omnibus oris Evehis et meritum, non quae cunabula, quaeris." Add. Virg. Aen. VI. 750: Hos-Lethaeum ad fluvium deus evocat. Burm. Anth. Lat. II. 228, 3 p. 417: Me procul a vobis deus evocat. Sil. VII. 501: Evocat e liquidis piscem penetralibus esca." Val. Max. IX. 1. ext. 1: ad somnum et vigilias evocavit. VI. 1: unde te, Pudicitia, invocem. Lips. evocem. Brand. cod. vocem. Ac congruit illud III. 30, 12: ex humili potens" cf. Ouwens. Noctt. Hag. III. 4 p. 380 sq. (quem rectius sentire, quam Hauptium arbitratum Daunum dici ex humili potentem infra XLVI apparebit).

XXXI.

In eundem numerum dubito an referendus sit locus I. 37, 9:

Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum quidlibet impotens
Sperare fortunaque dulci
Ebria.

Postquam enim alii alia conjectarunt, Bentlejus: turpium Opprobriorum, quidam Morbo Syrorum vel orbo virorum, Hauthalius Mus. Rhen. XIV. p. 629 cf. in Acron. p. 142, 15 not. tabo virorum, Linkerus: turpium, morbo furentum quidlibet — sperare", Lehrsius p. LXIX: audax vel procax virorum (quae et ipsa proximarum vocum: quidlibet impotens sperare comparatione confutari videntur et ab eo ipso, qui excogitavit, Bentleji incepto posthabita sunt l. d. et p. 39) neque ad veri investigationem satis profecerunt, in aliam partem videtur spectandum esse ac quaerendum. Consideranti autem duo illa: contaminato et morbo turpium, quae sunt simillima et maxime gemina, succurrit locus ille

Taciti Ann. XV. 37: Uni ex illo contaminatorum grege in modum solemnium conjugiorum denupsisset" (cf. Ammian. Marc. XVIII. 5, 4: auctore — coetu spadonum"), quem jam video certe a Bentlejo non praetermissum. Ex quo loco a vetere grammatico adscitis et, qua leguntur voces cum grege, superscriptis verbis: contaminatorum grege (quae tam tenui discrimine ab istis: contaminato cum grege" separantur, id ut fugiat aciem) accidisse, ut quod vere consignatum esset conaminalto, subinde verteret in contaminato, et suspicari in expedito est et eo facilius persuadere videor, quod utramque vocem: conamine alto parum differre intelligitur ex Lactantii loco Stat. Theb. II. 64, de quo haec librorum memoria variare: conata, contamenata, contammihinata docuimus in Sinide IV. 5 p. 76. Quid autem his:

Conamine alto cum grege turpium
Morbo virorum quidlibet impotens
Sperare

dilucidius et ad consummandam, quae verbis: cum grege turpi quidlibet impotens sperare" inchoatur, sententiam instructius dici potest quidve integrius et latinae consuetudini convenientius? quam consuetudinem satis est monstrasse Silii locis VII. 142: exacuens varia ad conamina mentem" (cf. XI. 331: tanti pondus conaminis. 365. XII. 405 conamina coepti. I. 33: conamine primae Contuso pugnae. IX. 519: conamine ducto Avertit. IV. 356: cristae Hostilem tremulo pulsant conamine frontem. Stat Theb. XII. 414: Huc laceros artus socio conamine portant. Claudian. IV C. Hon. 626: tantae conamina classis — primus contudit annus." Cort. Lucan. VI. 286 p. 471) et XVII. 540: victor et alti Jam compos voti" (cf. Sen. Med. 693: Aliquid movete fraude vulgari altius. Virg. Georg. III. 42. Sall. Catil. V. 5: nimis alta semper cupiebat. Sil. XV. 657: coepta ardua"). Favebit, credo, incepto nostro maxime Ad. Stahrius mirificus iste Cleopatrae laudator, qui quidem ut Propertii carmen III. 9 vehementius nuper vituperavit, ita memoratu dignissimum Glycae testimonium praeteriit hocce Annall. I. p. 112, 17: βασιλικῶς ἀποθνήσκει· καὶ γὰρ λέγουσιν αὐτῆς εὑρεθῆναι τὴν δεξιὰν χεῖρα ἐπικειμένην τῇ κε-

φαλῇ καὶ τὸ διάδημα κρατοῦσαν, ἵνα μέχρι τότε τοῖς ὁρῶσι βασιλὶς οὖσα βλέπηται scilicet etiam nobilissimis nostrae memoriae pictoribus incognitum. Neque id in isto librorum genere mirum; nam ne Begerus quidem. Thes. Brand. I. p. 215 sq. cf. II. p. 327 sq. aut Burmannus Prop. p. 597 et Peerlkampius Hor. p. 152 attulerunt ejusdem Glycae verba illa p. 112, 16: *οὕτως τὸ θηρίον προςβαλοῦσα τῷ ἀριστερῷ μαζῷ· ᾔδει γὰρ ἐκεῖσε νεύειν τὴν καρδίαν* cf. Zenob. V. 24 p. 121.

XXXII.

Strictim attingam Meinekii errorem, qui interpositis locis Ovid. Met. V. 313. Oppian. Cyn. 371. 395. Nemesian. 126 in ejusdem carminis versu 20:

Venator in campis nivalis
Haemoniae

rectius Paeoniam, quam Haemoniam nominari affirmavit Philol. 1847 p. 161. Quam sententiam et veterum fabularum fide et memorabili testimoniorum copia confutavimus in Sinide sive Poeticarum Fabularum Delectu cap. VIII. p. 175 sq. not. 76.

Plura dicenda sunt de versibus 14, 15:

Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores,

in quibus disceptandis doctorum hominum studia mire cessarunt. At dubitationem aliquam moverat Bentlejus his: ad aliorum scriptorum exemplum potius ad veros dixerimus": at numeris, quos pro incorruptis habent Grotefendus ap. Frank. Fast. Hor. p. 171, et Meinekius Hauptiusque et qui diligentiorem saepe metricarum legum observatorem custodemque se praestat Lehrsius p. LXIX, Hermannus Elem. Doctr. Metr. p. 691 (cf. Heynem. de Interpol. p. 37) consulendum censuerat hac arte: a Mareotico, quem sequutus Linkerus sive Horatius renatus jam hoc protulit: Gentemque lymphatam a rabie cito Redegit in veros timores." Verum ad utramque levandam difficultatem quis non videt nihil ea voce opportunius esse, quam praebet Apulejus Met. IV. p. 291: lymphatico ritu" (add. Anal. Prop. p. 98) reconcinnandaque

quae sint Hermanni consilio similia: e Mareotico ritu (it e more Ovid. Met. XIV. 156) sive: a Mareotico aere id (est sistro (cf. Cort. Lucan. IV. 153 p. 451. Drak. Sil. II. 60 p. 67), sed potius haec:

Mentemque lymphatam in Mareoticum
Ritum egit in veros timores?

XXXIII.

De carmine III. 27 magis refert, ut quae Peerlkampius graviter reprehendit, ea explorate percipiendi ac vere disceptandi initium fiat, quam ut sciatur Lehrsio totum hoc carmen, quantumcunque est, videri inconsulte et per dementiam factum et Horatio per omnia indignum p. CXXIV—CXXVII.

Et de versu quidem 61:

Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant

quod judicium Peerlkampius fecit: saxa acuta leto pro ad letum consciscendum vix, puto, Latinum est; minus etiam delectant leto", id vere simul confirmare et corrigere videmur, si eo erroris genere, quod supra V deteximus testatiusque facere licet locis Ovidii Fast. VI. 729: telis afflatus avitis. codd. 3 Merk. p. 298 acutis et Quintiliani Decl. IX. 16 p. 204. civicam. Witt. Leid. pr. avitam cf. Stat. Conject. XVI p. 231, erupisse dicamus acuta pro amica:

rupes et amica leto
Saxa,

ut apud Statium est Silv. V. 2, 38: tempus amicum Fraudibus." Serenum Sam. 27: et amica papavera somno. Valerium Flacc. II. 450: sulphur (ignibus) amicum cf. Stat. Conject. p. 232. Wernsd. Avien. Perieg. 1095 p. 1114. Quae autem saxa leto amica vere memorentur, dicunt Scaliger Lectt. Auson. II. 18 p. 137 sq. Burmannus Prop. II. 13, 69 p. 338. Schraderus Animadv. ad Mus. XX p. 360 sq. cf. Peerlk. Epod. XVII. p. 507.

Unde proficio ad explicandam atque perpoliendam illam partem (v. 63):

age te procellae
Crede veloci,

quam deformatam, perversam, conturbatam esse Peerlkampius (quid enim referam Lehrsii p. CXXVII secundariam objurgationem?) his arguit, quibus Burmanni Petron. 115 p. 690 sententiam confutari patet: Qui se procellae credit, is saeviente procella proficiscitur sive mari sive terra. Qui a rupe desilit et per auras deorsum fertur, non potest dici se credere procellae." Scilicet viro doctissimo non recordato latius patere vocis procellae vim et potestatem (de qua existimatur tum ex iis, quae in Pacati Panegyricum se commentatum esse indicat Barthius Stat. Theb. VII. 536 p. 732, tum ex iis locis, qui similes sunt Silio IV. 146: It sonipes rapidaque volans per aperta procella") non contigit, ut perspiceret idem atque a Statio Theb. XII. 800: Turbine quo sese caris instraverit audax Ignibus Euadne" (quem locum pluribus explanavimus Conject. I. p. 158) dictum fuisse ab Horatio hoc modo:

age, te procella
Trude veloci.

Qui modus plane congruit cum Alciphrone III. 1: *οὐκ ἀπὸ τῆς Λευκάδος πέτρας, ἀλλ' ἀπὸ τῶν Πειραϊκῶν προβόλων ἐμαυτὴν εἰς τὸ κλυδώνιον ὤσω* (cf. Virg. Georg. II. 74: qua se medio trudunt de cortice gemmae"). Rem, quam suasimus, exigui conatus esse docent Burmannus et Drakenborchius, quibus locis dicit Dukerus Liv. X. 5, 14 p. 44, et Heinsius Prudent. Psych. 725 p. 763, illi permutatorum testes verborum credere et tradere, hic verborum tradere et trudere. add. Claudian. B. Gild. 490: ad bellum nos trudat hiems." Vatic. 5 tradat.

XXXIV.

Jam de ejusdem carminis versu 76:

tua sectus orbis
Nomina **ducet**

quae Peerlkampius disputavit, adhuc parum (ne Claudiani quidem facta mentione Pr. C. Stil. II. 404: Ad coelum quoties

ıllis tibi Murtia ducet Nomen." Burm. p. 403) a doctis ho-inibus deliberata apud nos tantopere valent, ut ea ratione, ıam novit Heinsius Nott. ad Prop. I. 6, 2 p. 660, corruptum se a librariis, quibus insolentia vocis in in medio versu ısitae fraudi esset, contendamus pristinum ejus loci sta-m huncce:

bene ferre magnam
Disce fortunam; in tua sectus orbis
Nomina cedet.

ımerito enim a Peerlkampio reprehendi verba nomina et ;ctus orbis docent vel Silius XII. 360: Sardus — ex sese ıtavit nomina terrae" et Statius Theb. VIII. 64: sectum ınetrix mihi computat annum." Quo autem testatum fa-am, quibus inceptis hac aetate pateant Horatii carmina, bet referre a Th. Schaefero de Hor. Carm. III. 27. Bonn. 1868 . 23 haec effutita esse: simplicissimum hoc est statui sectus sse substantivum quartae declinationis et significat partem, ·bis est casus genetivus, non nominativus." Verum amotis ıgis quaeramus seria. Recte enim dici hoc: in tua no-ina orbis cedit" declarant Sallustius Jug. 18, 12: victi nnes in gentem nomenque imperantium concessere" et agesippus I. 15: quorum in nomen ac potestatem totus ope orbis terrarum concesserat." Cort. p. 506. Duk. Liv. .. 7, 7 p. 60. Sil. XV. 6: in Tyrias leges concedat tel-s" atque Ausonius Caes. Praef. 1: in quorum regna — Ro-ına potentia cessit. Tac. Ann. I. 2. Hist. VI. 43.

Nec de versibus 69—72:

Mox ubi lusit satis: Abstineto,
Dixit, irarum calidaeque rixae,
Quum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus

n assentior Peerlkampio et Meinekio (cui cito subscripsit hrsius), quatenus verbum abstineto in controversiam ad-xerunt, verum hoc amplius censeo et vocem injussus a ntlejo probabiliter suffectam esse et alia duo subesse vitia c arte eximenda:

Mox ubi indulsit satis: Abstineto,
Dixit, irarum calidaeque rixae
Quam tibi injussus laceranda reddet
Cornua taurus!

Rectius enim indulsisse querenti (ut ante v. 66: aderat querenti") Venus dicitur, dum rei veritatem patefacere commodum esset, quam, id quod opinatur a Porphyrione p. 367, 20: postquam diu passa est illam ignaram felicitatis de casu suo conqueri" dissentiens Peerlkampius, lusisse aere septa, ne ab Europa conspiceretur. De qua re paulo inferius XXXV aliqua adjiciemus, qua de Antiphilo dicetur (p. 63 et 64). Nolo autem pro ea sententia disertus esse, in quam diduci voces cornua, taurus, ἀταύρωτος quis est quin certe per Valckenarium Animadv. ad Ammon. p. 40 sq. et Burmannum Petron. 134 p. 828 et 25 p. 119 compertum habeat?

Quod autem legitur v. 46:

lacerare ferro et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua tauri,

id graviter a Lehrsio p. LXXVI vituperatum quum aliis sartum tectum relinquam, veluti Saxoni Gramm. Hist. Dan. II. p. 34: loricas lacerat ferrum", in hoc tamen carmine non dubito quin librarii ipso eo decepti verborum ordine, quem apud utriusque linguae scriptores (Soph. Aj. 187. Bernhardy. Synt. p. 431. Sen. Octav. 959. Hor. Carm. III. 24, 3, de quo infra LXXV dicetur) longe receptissimum esse nemo poetarum lectione vel leviter imbutus jam ignorat, pravo instituto in locum intulerint ab initio sic consignatum:

lacerare vara et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua tauri.

Quemadmodum Ovidius eandem Europam facit Am. I. 3, 24 tenentem virginea cornua vara manu." Heins. Adv. I. 6 p. 70 sq. cf. Hemst. Lucian. D. Mar. 15, 2 p. 392. Burm. Anth. Lat. I. 14 p. 6. Jahn. Rapt. Europ. p. 14 not. 1. Per quos autem gradus descitum a vero fuerit, facile colliget, qui frequentissimam cognoverit esse permutationem vocum fere et fero, ferro (Wak. Lucret. I. 472 p. 100. Eumen. Pan. 20, 2

re ferro nemo potuisset. Guelf. fere), fere, fero et (Quintil. III. 8 p. 281: jam fere. codd. fero. Guelf. . Drak. Liv. X. 18, 8 p. 132 et IX. 29, 1 p. 235), vera ıra (Heins. l. d. et Ovid. Am. I. 3, 24 p. 335), vero, , Varro, varius (Weich. de Vario p. 4 not. Epist. . de Varr. Atacin. p. 8. Acro Schol. Hor. Epist. I. 16, 25 2, 19 Varius. Paris. varo cf. Wak. Lucret. IV. 876 4), quas res copiosius contestandi copia erit in Varii ı. cap. II et III. Fallitur igitur Ouwensius Noctt. Hag. III. . 457.

XXXV.

Veniam ad graviora. Videor enim rem ad hujus carminis imationem maxime pertinentem conjectura eruisse nequa- a difficili. Quemadmodum enim Propertium iis, quibus lam suam commonuit II. 19, 31 (III. 24, 45), ad Agrippae icum spectasse obtinuimus Emendd. Prop. Spec. VIII. p. 19, loratium pro certo affirmare ausim ex Pompeji porticu ımentum cepisse, quid esset naviganti Galateae extime- dum. Quae quidem porticus (Martial. III. 20, 12. XI. 1, 2. 4, 3. 5. 15 et quem locum Jahnius de Rapt. Europ. p. 5 7 praeteriit, VII. 31, 12: Aut ubi Sidonio taurus amore ") Europam habuit ab Antiphilo depictam, sic autem, ut :um judicium fert, depictam, ut primum conspiceretur co- Nymphis debita jam cornua tauri intexens (Hor. v. 29 sq. qualem in multis monumentis expressam videmus (Jahn. p. 3 sqq.), deinde eadem jam per pontum delphinibus ntem tauro sic, ut ex aliis monumentis multis discitur, ı (v. Stephani Compte rendu de la commission imperiale ologique 1866 p. 86 sq. 106 sq. Jahn. l. d. p. 21 sq. ı. 7 sqq.), vecta autem nocte sublustri: quam quidem ab uno Horatio proditam (v. 31), leviter ne a Jahnio em p. 21 animadversam propriam jam intelligimus et pe- rem fuisse ei picturae, qua innotuit Antiphilus, sive ıtum illud esse credis pictorum fictorumque auctoritate, pe qui ne commentis quidem temperasse videantur, modo perum suorum magnificentia cumularetur insigniter (Theb. d. II. 1 p. 91), sive, id quod pervelim, ab Eumelo aut

Stesichoro sumptum. Ea autem ipsa tabula, quam ab Horatio dedita opera enarratam probabiliter dixeris v. 33 — 67, habuit Europam in ipso Cretae littore „ardenti corde — clarisonas fundentem voces“ (Catull. 64, 124), qualem fere lamentationem puellae in medium mare evectae inchoarunt potius, quam exsequuti sunt Moschus Id. II. 130 — 149 et Nonnus I. 126—137 parciores illi, ut mea conjectura fert, scriptoribus Europiae. Neque his praetereundus est error ille, quo inductus Bentlejus v. 39:

an vitiis carentem
Ludit imago

concubitum potius hoc modo: vitio carentem“ significari censuit persuasitque cum aliis tum Peerlkampio et Lehrsio. Longe aliter enim statuendum esse manifesto docet ipsa illa, de qua nihil explicavit Jahnius l. d. p. 27, orni mentio v. 58, quae nemo dubitaverit quin illi platano, quae fabulae de Jovis nuptiis pervulgatae signum mansisse fertur utriusque populi monumentis (Plin. N. H. XII. 1, 5. Meurs. Cret. I. 10 p. 38. Jahn. l. d. p. 25 sqq.), posthabenda ab eo fuerit, qui turpe commissum v. 39, culpam v. 38 imminutam pudicitiam intelligi vellet, non vitia „quae plurima menti Femineae natura dedit“ (Ovid. Met. X. 244) sive recensere libet ea, quibus Europae causa continetur: temeritatem puellae tauro ita blandientis, ut et Nymphas suo munere fraudet et intextum sertis cornu teneat „inscia culpae“ (Anthol. Lat. I. 14, 29), impudentiam relinquentis patriam et parentes (Hor. v. 49 sq. Mosch. II. 142. Nonn. I. 131), levitatem in praesentissimum periculum prolapsae (Hor. v. 26) et sero conjugii jamjam futuri infamiam auguratae, quod quidem malum significatur et v. 27: mediasque fraudes et v. 66: dominaeque tradi Barbarae pelex et v. 55: tenerae praedae“, cujus versus sententiam nec alius quisquam vere cepit nec Mitscherlichius aut Peerlkampius et qui mira obtrectandi cupiditate exsultat, Lehrsius. Quasi vero difficile ad investigandum fuerit hoc ab Europa dici: quoniam sibi tauri praedae factae (Ovid. Met. II. 873: mediique per aequora ponti Fert praedam.“ Nonn. I. 132: ταύρῳ Ἅρπαγι καὶ πλωτῆρι καί, ὡς δοκέω, παρακοίτῃ) tabescendum sit ira atque dolore, praestare se adhuc specio-

sam a tigribus consumi et, ut versus 51 sq. attingam, leonibus inermem objici: nudam enim intelligi eam, quae inermis sit, fugit Mitscherlichium et Lehrsium, qui vestium qualicunque munimento destitutam animo informarunt, ut isti artifices, de quibus Stephanius l. d. p. 101 et Jahnius p. 46 sqq. disseruerunt. Cf. Sen. H. Oet. 57: quanta nunc fregi mala — nudus cf. Heins. Adv. II. 10 p. 283. Sil. IX. 83: Sed fuga nuda viri. 102: contorquet nuda parentis In terga haud frustra jaculum. VI. 46: certamine nudo Invenit Marti telum dolor." Coripp. Jo. V. 109: numquam superatus — Nudus adest victusque redit." Barth. Stat. Theb. I. 413 p. 145. Bentl. Hor. Carm. I. 2, 39. Burm. Grat. 153 p. 121. Arntz. Arat. Ep. ad Florian 20 p. 12. Nimirum docti homines a justo quaerendi eruendique singula labore adeo abhorruerunt, ut versati in disceptandis versibus 40 sqq.: an — Ludit imago Vana, quam porta fugiens eburna Somnium ducit" (favendum enim est Sanadono, Bothio, Axtio Spurinn. p. 21) ne illius quidem somnii mentionem facerent, quod retulit Moschus II. 4 sqq. Verum illuc redeo. Sic enim existimo extremum carmen ad eam Antiphili tabulam spectare, in qua cum Amore Venus (quam ab aliis quoque artificibus in partes vocari solitam esse docuit Jahnius p. 3 sqq. cf. 31. 42. 48. 50 sq.) cerneretur Europam multa gravissime conquestam consolans et quae rerum esset veritas, edocens (cf. XXXIV).

Quibus ita deliberatis et expositis satis coarguisse videmur errorem Jahnii, qui ab Antiphilo pictam fuisse opinatur Europam tauro insidentem Cadmumque cum puellis Europae aequalibus subito monstro exterritum p. 5 sq. cf. p. 8. 9. Quanto consideratius Plinii interpretatus verba XXXV. 10, 37, quorum hunc ordinem cernimus: Antiphilus pinxit in Pompeja — Cadmum et Europam", Stephanius l. d. p. 99 suspicatus est duas res diversissimas compositas fuisse: Europae raptum et Cadmi fortunam. Hoc igitur laudo, ut tamen, si quis neget plures tabulas Europae fabulae dedicatas fuisse, sed rem, quam maxime memorabilem v. 31 ab Horatio prodi supra p. 61 diximus, sumptam ab Eumelo potius vel Stesichoro, quam ab Antiphilo, affirmem contendamque duas in Pompeja extitisse picturas, quarum altera Cadmum haberet Cirrhaeae bovis (Theb.

Parad. I. 1 p. 3 sq.) vestigia sequentem, altera Europam a tauro in Cretam insulam inspectante Venere (Hor. v. 33—76) advectam: Antiphilum enim pingendae animalium naturae singularem navasse operam documento sunt Hesione atque Hippolytus tauro emisso expavescens, praeterea Liber pater, Alexander puer, ille, si recte conjectura consequor rem ab Jahnio l. d. p. 6 praetermissam, tigribus vectus, hic Bucephali amore captus Plin. l. d.

XXXVI.

Hinc ipsa res avocat in illam de versu IV. 8, 17:

Non incendia **Carthaginis** impiae
Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides

quaestionem, quam praeclare a Bentlejo institutam quum plurimi mirifico tractarint certamine, nemo tamen plane et ad persuasionem apposite absolvit. Neque enim ullo pacto fieri potest, ut in Ouwensii (hunc enim pro omnibus afferre licet) acquiescamus argumentatione, qui „quum certum sit eam interdum librariorum atque interpolatorum fuisse impudentiam, ut si quid ingeniose atque opportune addi potuisse putarent, illud tamquam ab ipso poeta profectum inserere superbe atque importune sustinerent, versiculum illum a mala manu per summam inscitiam huic loco intrusum esse et pro Horatiano frustra venditari" affirmat Noctt. Hag. III. 6 p. 388; quid enim tam pugnat, quam idem et ingeniose et opportune inventum esse et per summam inscitiam intrusum? Neque ab ipso Bentlejo aut illud fuit explicatum, qua tandem ratione „tam conspicuo errori, tam horribili hallucinationi" locus non factus modo, sed per tot deinceps saecula concessus esse videretur, aut hoc indicatum nomini Carthaginis in medio versu collocato aliquam excusationem sic parari posse, si verum ejus urbis nomen Kartha — hadtha id est novam civitatem a Solino aliisque proditum esse Bocharto Chan. I. 24 p. 512. A. II. 5 p. 797. A et Valckenario Opusc. I. p. 115 assensi recordemur similiter divisa nomina Aristogitonis et Apollodori

Jac. Del. Epigr. III. 7 p. 64. Osann. Symbol. I. p. 311 sq. Quamquam nos hoc manifesti vitii patrocinium omnino repudiamus. Tria enim veritatis indicia ostendere licet, quibus subnixi possimus ad justam pervenire impeditissimae rei explicationem. Primum enim Bentleji disputatione tantum profectum est, ut pro confesso habeatur Carthaginis quidem incendia hic ab ipso Horatio non fuisse memorata; deinde Meinekius recte negavit versibus, quibus hoc carmen continetur, constare numerum justum et secundum lyrici generis legem demensum; denique Schultzius Progr. Monast. 1865 p. 4, quem a nobis Emendd. Prop. Specim. VIII. p. 19 (omisso tamen Meinekio Hor. I. 4, 5 p. IV. sq.) laudatum neglexit Lehrsius ille quidem hic quoque multa nequidquam argumentatus, perspexit atque obtinuit v. 15 sq. non ipsam fugam (Ouwens. l. d. III. 1 p. 353) minasque Hannibalis dici, sed intelligi imagines earum rerum expressas. Haec igitur, firmissime tenenti (nihil enim dicam de Hauptio et Heynemanno p. 40 verba: non celeres — Lucratus rediit resecanda esse arbitratis) visum est novam gravissimas controversias disceptandi viam ingredi eam, ut jam olim huic carmini et majus quoddam damnum illatum et notabilem labem adspersam esse arbitrer. Sic autem existimo: insigni vocum in ipso versuum exitu positarum similitudine (quid enim ad describentium visus ambiguo errore lacessendos instructius vocibus v. 19. 20 Africa et atria et v. 17. 18. impiae et inclitae?) factum esse, ut duo versus stilo praeterirentur, nomine Carthaginis autem, quod interpretandae voci urbis grammatici superscripsisse videantur, in ipsum versum illato ea intercidisse, quae ab ipso Horatio scripta fuerant:

Non incendia **versa urbis et** impiae
Detrimenta, domus quae decora inclytae
Picturis referunt conspicua atria,
Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides: neque,
Si chartae sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris.

Et illa quidem supplementa, quibus v. 17. 18 refecimus, Si-

lius videri potest legisse II. 358: Libyae clades et primi incendia belli. XVI. 161: Caetera quae in Libyam portari incendia suades" (cf. XIII. 512: cuncta fugarit In Libyam bella." XI. 2: clades — Verterit ad Libyam populos Sarranaque castra") et VIII. 399: detritaque bellis Suessa. III. 356: Nomen Romanis factum mox nobile damnis." Vorst. Justin. III. 5 p. 132. Scipiones autem, quorum laudes chartis et poetarum (Hor. v. 20 sq.) circumferrentur et historicorum (quos ab Horatio IV. 9, 28 quodammodo dissentiens afferre maluit Vopiscus Prob. 2: Scipiones omnes seu Lucios seu Nasicas nonne tenebrae possiderent ac tegerent, nisi commendatores eorum historici nobiles atque ignobiles extitissent?"), non abhorruisse ab ambitione res a se gestas proponentium depictas Plinii testimonio colligitur N. H. XXXV. 4, 7: Fecit hoc idem et L. Scipio tabulamque victoriae suae Asiaticae in Capitolio posuit idque aegre tulisse fratrem Africanum tradunt haud immerito, quando filius ejus illo proelio captus fuerat" cf. Sil. VI. 654: dum spectat templumque domosque — varia splendentia cernit Pictura belli patribus monumenta prioris Exhausti (nam porticibus signata manebant)." 700: Non leviora dabis nostris inscribere tectis Acta meae dextrae." 123: Sat tibi, sat magna et totum vulgata per orbem Stant documenta domus" cf. Tiraquell. in Alex. ab Alex. G. D. V. 24 p. 329 sq. 332.

XXXVII.

Ad quod nunc transimus, est illud leviusculum quidem et minoris impedimenti, sed tamen rite expedituro aliqua certe subtilitate opus erat. Etenim de versu III. 5, 17 hoc:

Si non periret immiserabilis
Captiva pubes

discrepant, ut alios omittam, Huschkius Tib. II. 4, 38 p. 353 et IV. 4, 25 p. 627 et Axtius Spurinn. p. 111 sq. (periret), Lachmannus Hauptiusque hujus scripturae auctores: perires inmiserabilis, Captiva pubes", Lehrsius, qui versus 17—24 ab Horatio abjudicandos esse arbitratus libenter tamen arripuit p. CVIII, quod de Glareani auctoritate Bentlejus dubitanter proposuerat:

perirent inmiserabiles" (cf. Orell. p. 377. Stat. Conject. XVIII p. 253. Sil. V. 211: poenas — petunt accensa juventus"), Paldamus autem eo, quod in locum vocis inmiserabilis substituit has: vae miserabilis." Quo conatu aliquanto tutius fuisse reddi Horatio hoc: periret jam inmiserabilis significavimus Stat. Ecl. ult. p. 288. Meinekium enim severius quam verius l. 16, 8 p. VII hoc praecepisse: monosyllabas voces praeter pronomina te et me Horatium in lyricis nunquam elisisse" ut crederem fecit et Epod. XVII versus 1: Jam jam efficaci" cf. Lehrs. p. XI atque illud, quod in carmine I. 4, 7 probabiliter conjectasse videmur: dum in (XII), et tot poetarum, qui ipsam illam vocem jam cum aliis vocabulis coire voluerunt, recordatio, ut Cinnae, de quo suo loco dicetur, Virgilii Aen. XII. 582: Bis jam Italos hostes. X. 19: quod jam implorare queamus. I. 623: Tempore jam ex illo. VI. 385 et Georg. III. 74 jam inde. Stat. Theb. VI. 494: Quum jam in fine viae. IV. 43. VII. 372: Et jam acies. Silv. II. 1, 5: Quum jam egomet. Sil. XII. 323: Phoebo jam intrata sacerdos." Coripp. Jo. II. 17: vacuum jam in monte cacumen" et quos addidimus Stat. Ecl. ult. 84 p. 182. In expedito autem esse illud supplementum declarat et vocum in et jam permutatio in Claudiani libris facta, ut diximus Stat. Ecl. 46 p. 74 (add. Fesc. 104: impacata. Leid. jam pacata. Ovid. Fast. IV. 902: In medio cursu. Ambros. al. jam. Lucan. VI. 660: Jam nova. Guelf. 2. In nova. X. 497 jamque. Salm. Vratisl. inque. Burm. Ovid. A. A. III. 723 p. 706) et discrepantia Virg. Aen. X. l. d. Rottend. tert.: quod implorare. Ovid. Met. IV. 145: oculos jam morte gravatos. al. jam in morte. Ofil. Sergian. de Pul. 20: fierem in mea vota pulex", quod fieri jussimus Adn. Stat. Ecl. 84 p. 142: fierem jam in mea vota pulex." Verum enimvero harum rerum, quas nequaquam leves quidam nunc immerito fastidiunt, contestatio jam supervacanea est. Namque hoc diluxit vocem inmiserabilis superscriptam a grammaticis fuisse (cf. non motos: immotos Cort. Lucan. V. 121 p. 583. male audax: inaudax LXXI), ab ipso Horatio autem haec posita:

Si non periret **nil miserabilis**
Captiva pubes.

Quo loquendi genere maxime Statius usus est Barth. Claudian. Mall. Theod. 4 p. 69 et Stat. Theb. IX. 610 p. 1038 sq. Burm. Quintil. Decl. XII. 19 p. 261. Drak. Liv. XXII. 45, 5 p. 261. Cf. Hor. Carm. II. 3, 24: nil miserantis Orci.

XXXVIII.

Hinc ad illa pergo disceptanda verba (v. 37):

Hic unde vitam sumeret **inscius**
Pacem duello miscuit,

quae aut sic aut in eum modum, quem librorum fides Bentlejo spectata potiorem praestat: sumeret aptius", scripta quum nemo intellexisset, accidit, ut infinita versus quasi illuvie opinionum et conjecturarum commacularetur potius, quam emacularetur a quoquam. Nam, ne omnia recenseam nomina, Axtius Spurinn. p. 21 quae leguntur v. 37—40 censuit insitiva, Lachmannus hoc protulit: unde vitam sumeret, anxius", quod languidius dictum tamen nec Hauptio displicuit et vehementissimam Lehrsii p. CVIII movit approbationem, Seyffertus ap. Muetzell. Actt. ad gymnas. pertin. 1860 p. 582 verba sic ordinata: timuitque mortem Hinc, unde vitam sumeret. Aptius Pacem duello miscuit. O pudor" in hanc sententiam sibi visus est posse explicare: aptius id est Romani militis honori convenientius eaque de caussa venia dignius fuisset, si justa defunctus dimicatione pacem fecisset", Ieepius autem in Fleckeis. Nov. Annall. Phil. 1870 p. 432 vel ad hanc interpretationem descendit: Hic (unde vitam sumeret aptius?) pacem duello miscuit." Quocirca quaerentibus nobis, quid tandem desideraretur potissimum ad integritatem sententiae, quod sequi in conjectando certo liceret, tale quid videbatur paene necessario requiri, quod et voculam hic ut loco principem ita vi et potestate postremam amoliretur et honeste vitae spem ferro quaeri significaret in ipsa Reguli peroratione positum. Quod quum ita sit, non dubito equidem conjecturam expromere non proclivem magis (testes do Drakenborchium Sil. VI. 580. p. 327 cf. Liv. XXXII. 20, 7 et Schwarzium Plin. Pan. 15 p. 593 ac Burmannum Claudian. B. Gild. 287 p. 224. cf. Hor. Carm. III. 29, 5: ne semper. Lachm. Haupt. hic sem-

per"), quam ad detegendum errorem librariorum vocis novitatem vehementer miratorum instructam (Heins. Virg. Georg. III. 176 p. 393):

Necunde vitam sumeret aptius,
Pacem duello miscuit.

Persentiscisne hanc acerbitatem irrisionis, qua consulto miles iste elegisse dicitur, quod omnium maxime dedeceret? Quum aptum esset, inquit, et Romano mori consentaneum aliunde peti (Catull. 61, 153) salutem id est ex ipsa salutis desperatione extremaque dimicatione (Cerd. Virg. Aen. II. 354 p. 203 sq. Hor. Carm. IV. 4, 60), maluit iste ipsi certamini continuare deditionem et rei manu gerendae nefarie oblitus pacem orare manu (Virg. Aen. X. 80). Miscere pacem duello autem, ut Sil. III. 200: virgaque fugante tenebras miscuerat lucem somno deus. XI. 52: miscere epulis spectacula dira Certantum ferro." XIII. 104: Miscebat dictis facta."

XXXIX.

Quod raro accidit, versui I. 37, 4:

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc Saliaribus
Ornare pulvinar deorum
Tempus **erat** dapibus, sodales

pepercit Lehrsius a Peerlkampio reprehenso et in hunc modum correcto: Nunc Saliaribus Ornate pulvinar deorum, Tempus erat, dapibus." Cui correctioni repugnare latinam consuetudinem intelligitur vel ex iis locis, quos composuimus in Stat. Ecl. ult. 43 p. 67 sq. Commodius certe et Usenerus Mus. Rhen. XXIV p. 349: Ornasse — tempus erat" et Linkerus sive Horatius renatus: Saliaribus Ornare pulvinar deorum Tempus avet dapibus", hic quidem oratione usus non incorrupta cf. IV. 11, 7: ara — avet immolato Spargier agno." Adeo igitur doctorum hominum aciem fugerunt duo vitia, quorum alterum a Peerlkampio detectum confirmare licet memorabili exemplorum copia (Prop. I. 1, 35: vitate. Mentel. Heins. vitare. III. 20, 21 properate. Neap. properare. Ovid. Fast.

V. 421 cod. Heins. p. 341: Ritus eunt veteris (celebrate) Lemuria sacri. codd. al. celebrare. Lucan. VIII. 655 aptare rudentes. al. aptate. Stat. Theb. III. 240: pugnare Monac. A. pr. m. B. Ms. Barth. pugnate reliqui. Claudian. Eutr. I. 94 damnare. Flor. damnate. Vatt. Pal. Farn. al. damnante. Auson. Jd. IX. 11 raptare. exempl. Toll. raptate. Arntz. Arator. II. 877 p. 234), alterum satis est monstrasse loco Claudiani Pr. C. Stil. II. 293: Eois Omen eat (erat Med. Thuan. al.) ab Heinsio p. 395 disceptato et altero, qui est Eutrop. II. 156: Sic eat. Farn. Bonon. erat, et Ovidii Met. VII. 509: omnis eat rerum status iste. Cantabr. al. erat. Trist. V. 14, 44: puppis erat. Vatt. recte eat. Arator. Act. Apost. II. 27: Quo duce tutus eat. Lugd. erat. Namque aut fallor aut hac demum arte oratio suas ex integro vires recuperat et illum, qui librariorum segnitie refrixit, quasi colorem:

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus; nunc Saliaribus
(Ornate pulvinar deorum!)
Tempus **eat** dapibus, sodales.

Tempus eat, ut in iis locis, qui sunt apud Heinsium Ovid. Fast. II. 149 p. 87.

XL.

Itaque hic quidem perperam quidam ad mentionem devoluti sunt illius „figurae, qua usi Graeci imperfecto pro praesenti locum fecerunt"; verum in carmine III. 12, 6:

Liparaei **nitor Hebri**,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso **melior** Bellerophonte neque pugno
Neque segni pede victus

cum a Fabro Bothioque p. 48 tum a Bentlejo — nam illam opinandi libidinem, qua quidam hunc ordinem machinatus est: qui, simul sese lavit in Tiberi, eques fertur", perstringere nihil attinet — quo igitur intelligeretur dici ipsum Hebrum usque ad Luciferi nitorem formosum, a Bentlejo afferri oportuit illam Graeci sermonis consuetudinem, quam usque ab Homero Od. XI. 90: *Ψυχὴ Τειρεσίαο σκῆπτρον ἔχων* per

omne scriptorum genus ad Tzetzam Antehom. 182: *Κῆρ' Ἀχιλῆος ἄγουσι παρ' Ἀτρείδαις καὶ Ἀχαιοῖς Πεντήκοντα νέας σὺν Μυρμιδόνεσσι φορεῦντα* propagatam scimus satis edocti a Porsono Eur. Hec. 293 p. 25 et Bernhardyo Dionys. Perieg. 27 p. 531 cf. Sil. XIII. 776: Croesi mox advolat umbra, Dives apud superos, sed mors aequarat egenos."

Nec quod in extremo versu, quem supra posuimus, legitur: segni pede victus, non habet comparationem cum Homero Il. XVII. 320: *ἀναλκείῃσι δαμέντες* (cf. Sil. V. 552: nulli victus vel ponere castra Vel junxisse ratem") aut quae in carmine I. 1 inveniuntur, v. 22: stratus nunc ad aquae lene caput sacrae" cum Corp. Jnscr. I. 457 p. 464: *θῆκέ με τῇδε Ἐσθλὸς ἀνὴρ κρήνης κρατὸς ἐπ' ἀενάου*, v. 3 pulverem Olympicum" (Olympici certaminis pulverem" Ammian. Marc. XXIX. 1, 25) cum Gregorio Naz. Carm. I.1. 255 p. 120 B: *κόνιν Πισαίαν* et Jamb. 18, 757 p. 216 B: *κόνιν τὴν Δελφικὴν Λύχει* (quemadmodum illa IV. 11, 17: Elea domum reducit Palma" Segaarius p. 150 comparat cum Clemente Q. D. S. 3: *πατρίδος — εἰς ἣν μετὰ στεφάνων ἐπανέρχεται*), v. 36: feriam sidera vertice" cum Synesio Epist. 57: *τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανὸν ἐξαράσσειν*, quem a Gatakero Antonin. VI. 20 et Marklando Max. Tyr. XIV. 7 p. 264, non item a Barthio Claudian. L. Stil. IV. 470 p. 341 et Ruf. I. 53 p. 328 aut Wesselingio Herod. III. 30 p. 328 cf. Jac. Anth. Gr. X. p. 67. Boiss. Eunap. p. 226 et Aristaen. I. 11 p. 397 memoratum jam cum Horatio contendit Meinekius in Horatio graecissante Actt. ad Antiq. stud. pertin. 1851 p. 233. Sed nolo partes ab eruditissimo viro inchoatas, ab aliis deinceps nescio quam subtiliter tractatas per Horatii carmina eundo explere incrementorum eo genere, in quo numerantur loci Alciphronis supra XXXIII commemorati et Pauli Silent. Epigr. IX. 4 *λευκὸν ὦχρον* cf. Epod. VII. 15: albus pallor atque Euripidis Hec. 249: *ἐξέπεμψά τε χθονός*. Phoen. 251: *ἑπτάπυργος γᾶ*. Specim. Emendd. Prop. I. p. 3 cf. Carm. I. 7, 29: ambiguam tellure nova" id est Salaminem novae civitatis nomine obscuram: Latinis praestat intendi exemplis primum ejus generis, de quo sunt, quos ne Peerlkampius quidem attigit, loci Quintil. Decl. XIII. 2 p. 272: proximos quosque revellendo ter-

minos (Hor. II. 18, 23. Valg. p. 396 sq.). CCCLXXVII p. 773: ad preces decurrere (III. 29, 59). XII. 28 p. 270: nostris caussis urna jam stetit (III. 11, 22) aut Septimii B. Troj. VI. 7: apud Molossos naves quassatas tempestatibus reficit (I. 1, 17) aut Curtii IV. 5, 12: quocunque pendentes animos tulisset fortuna, sequerentur" (I. 7, 25). Trebellii Pol. Div. Claud. 6: laborasse ipsam, quae tantum barbarici tumoris excepit, terram puto" (I. 9, 3). Ennodii p. 232. A: agricolarum laboriosae stirpes et duris exercitatae ligonibus suboles (III. 6, 37 sq.). Cassiodorii Var. VIII. 22 p. 126. b: Olympicos currus frequens palma nobilitat (I. 1, 3. Valg. p. 397) et XI. 37 p. 172. a: splendescunt usu (II. 2, 4). It. Alex. 117 p. 76: ne sese — in proeliis abuteretur tanti prodigus sanguinis (I. 12, 37. Drak. Sil. I. 225 p. 22). Julii Valer. III. 71 p. 205: fausta penetralia (IV. 4, 26. Sarbiev. III. 26 p. 124) et ne omnia repetantur, quae attulimus Valg. p. 398 sq., Calpurnii Ecl. V. 18. 26: hiberno pecus omne movebis ovili — Tunc Venus — Faunumque Laremque Salso farre voca: tepidos tunc hostia cultros Imbuat (I. 4, 3. 11. 31 cf. Valg. p. 396). IV. 142: Tu quoque mutata seu Jupiter ipse figura, Caesar, ades — Hos precor aeternus populos rege: sit tibi coeli Vilis amor" (I. 2, 41. 45. Drak. III. 626 p. 176. cf. Sil. XIII. 642: mutata — Forma dei."). Sed veniam ad alterum genus exemplorum, unde de pristino Horatii statu aliquid queat non incerta colligi conjectura. Quales igitur supra attulimus Martialis (X), Salviani (IX), Senecae (VI), Sidonii (II) locos, tales esse dicimus It. Alex. 77 p. 48: probat nihil ita mortalibus arduum, cui non viam perfacile sapientia straverit" (I. 3, 37, ubi jam praevaluit arduis est de sententia Bentleji, Meinekii, Hauptii, Lehrsii) et Claudiani VI C. Hon. 312: melius mucrone perirent", quem a Peerlkampio Carm. I. 2, 22 adhiberi aptius fuit, quam Lucanum I. 251: melius Fortuna dedisset Orbe sub Eoo sedem", pro quo integrum fuit nominare Ovidium Fast. VI. 561: Alterius prolem melius mandabitis illi." 233. Her. III. 151: Perdere quos melius possis, Neptunia praebent Pergama." Statium Theb. III. 351: melius legatus adissem Sauromatas. IX. 387. 441. Sen. Phoen. 619: me-

lius istis viribus Nova regna — appetes." (Sarbiev. Lyr. IV. 12 p. 163. Epod VIII. p. 227) et qui potius ita dixit, Silium X. 659. Cum illo autem versu III. 1, 34: Jactis in altum molibus" non solum Senecam Thyest. 459: retro mare Jacta fugamus mole" a Broukhusio Tib. II. 6, 27 p. 281 et Mitscherlichio Peerlkampioque p. 227 contendi oportuerat, verum etiam et Hegesippum III. 11: jactis in freta molibus" et Curtium IV. 15, 21: molemque a Macedonibus in salo jactam", quo uti fugit Seyffertum ap. Muetzell. Actt. ad gymn. pert. 1860 p. 580 arbitratum rectius scribi: jactis in alto molibus." Qui idem interpretatus hic dici frequentes redemptores rectiore ducitur judicio, quam Lehrsius hujus commenti auctor p. XCIV: huc vehens. Quo mirabilius et a latina consuetudine alienius proferri nihil potuit. Jam in carm. I. 7, 14 quid Marcilium putas ausurum fuisse, si cognitum habuisset Frontini locum de Aquaed. p. 116. Stew.: Anio purissimo defluens lacu mobilibus tamen cedentibus ripis aufert aliquid quo turbetur, priusquam deveniat in rivos?" Sed revertamur ad ipsum primum carmen, quae ejusmodi supersunt plura, deinceps tractaturi potius quam indicaturi.

XLI.

Versum I. 1, 35:

Quodsi me lyricis vatibus **inseris**

tollendum censuit, ne quid de G. Hermanno dicam, Peerlkampius. Qui non magis, quam Orellius et Lehrsius omnesque, qui secus statuerunt, exploratum habuit haec extare scripta ab Ausonio Id. VIII. Precat. 51: Illum si cernam, tum terque quaterque beatus — Tunc tangam vertice coelum" (cf. Epigr. III. 9: Quodsi lege maris refluens mihi curreret amnis, Huc possem victos inde referre Gothos"). Unde hoc quoque emergit verum esse, quod et Vanderburg. quatuor codices praebent et praeter alios Wolfius Anal. II. p. 265 not. 2. Huschkius Anal. Tib. p. 711, Bothius, Meinekius, Hauptius probarunt:

Quodsi me lyricis vatibus in**seres**.

Et Orellii quidem commentariis breviter indicem quanta

liceat scribere supplementa. Fugit enim eum de v. 4: Sunt quos juvat meta — palmaque evehit. Hunc (juvat)" commemorare Lachmanni disputationem Prop. IV. 3, 13 p. 242, de palma v. 5 Hor. IV. 2, 17. Prop. III. 7, 17. Stat. Theb. X. 234. Cassiod. l. supra XL p. 72 d., de propriis horreis v. 9 Ambros. Hexaem. VI. 4 p. 88: formica acervos — foras suis humeris exportat, ut jugi sole propria frumenta siccentur. Denique haudquaquam illis diebus omnibus rumpi de nubibus imbres videris, nisi cum fruges suas horreis propriis formica revocaverit" cf. Claudian. B. Gild. 112: patriaeque petenti Rusticus inferret proprias dictator aristas" et 161. Sec. C. Stil. 327; de verbo verritur v. 10 Arntzenium Pacat. 26, 4 p. 334; de verbo demoveas v. 13 Seyffertum Progr. Reg. Paed. Hal. 1837 p. 40 et nos Valg. Excurs. p. 397; de vocibus oppidi rura sui v. 16 Ouwensium Noctt. Hag. III. 6 p. 404 cf. Theocr. XIV. 14; de solido die v. 20 Schwarzium Plin. Pan. 39, 4 p. 206; de v. 25 Scholiastam Lucan. VIII. 447 p. 635: Jovis i. pluviae (Voss. quia Jupiter est aer.). Horatius: Jacet sub Jove frigido venator", de verbo manere autem Gronovium Sen. Benef. III. 16 p. 156 et Dorvillium Charit. VI. 3 p. 528 cf. Pric. Apul. Met. IX. p. 350. Sil. XII. 20. XI. 405. Nemesianum L. Herc. 73 et quae diximus supra XIV: fallitur enim Bergkius Nov. Ann. Philol. 1870 p. 841 sq. Neque idem Orellius in explicando versu 30: Dis miscent superis versatus rationem habuit Oudendorpii Lucan. I. 271 p. 39 (quamvis in ipsa Horatii sententia, ut paulo inferius indicabitur, aperienda non solertioris Bothio p. 6. et Lehrsio p. XXVI aliisque multis) vel Fulgentii Myth. I. p. 620: quarum (tutricum) sequax si fueris, celeriter raptum ex mortali coelestem efficient astrisque te — interserent" aut de v. 33 tibias cohibet attulit Wernsdorfium Exc. VII ad Calpurn. Ecl. p. 329 aut de verbo tendere v. 34 (quod verbum ipse vult esse pulsare, alii intendere et temperare, quidam porrigere, ut Virg. Aen. II. 694. Georg. IV. 535) Suetonium Ner. 39: Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus" et Statium Theb. I. 32: Tempus erit, cum Pierio tua fortior oestro Facta canam: nunc tendo chelyn. VIII. 374: majorque chelyn mihi tendat Apollo" (cujus ejusdem verba Silv. V. 3, 236: bellique modos" concinunt

cum carmine II. 1, 2) ac Claudianum Mamertum contra poet. p. 775. A: Eia age tende chelym et fecundum concute pectus" cf. Sarbiev. IV. 7 p. 154: Salomonia Utcunque lenes tendere barbita."

Neque idem subtilitatem et intentionem suam accommodavit iis, quae de v. 29 sq.:

Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis

diximus Valg. p. 364 sq. 486. Postquam enim in confessum venit monstrari in illo loco hederam non „honorem capitis Heliconium", qualem dici videmus in titulo ap. Niebuhr. de Merobaud. Praef. p. VII, sed „ornamentum illud poetarum insigne et praecipuum" (vid. Seyffert. Cic. Tusc. V. 7, 20 p. 91 *), quod sibi imponere solerent carmen exorsuri (Valg. l. d.), illud amplius edisserendum fuit (quod parum deliberavit Schroeterus Quaestt. Hor. P. III. p. 5 Progr. Saraepont. 1864) hoc Horatium profiteri: se quidem et grandi carminum generi operam dare („hederae Dis miscent superis — nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton" cf. Valg. p. 486. a) et levi (ad quod genus haec spectant verba: me gelidum nemus Nympharumque leves cum Satyris chori Secernunt populo" cf. Plin. Pan. 81, 1 et tibiarum atque Euterpes mentio); utriusque autem generis auctorem se Maecenatis velle judicio probari atque in lyricorum poetarum ordinem adscribi: cujus voti compotem factum se non modo superiorem reliquis futurum qualicunque sorte beatis (omne enim genus sordere quodammodo his oblique admonemur: mobilium turba Quiritium. Quidquid de Libycis verritur areis. Findere sarculo agros. Pavidus nauta. Mercator metuens Africum. Partem solido demere de die. Bella matribus detestata. Sub Jove frigido. Venator tenerae conjugis immemor), sed iis parem atque adeo majorem, quos Olympica palma ad deos

---

*) Cf. Nemesian. L. Herc. 8: tuam non nunc novus advena turbam Ingredior laurosque gerens et florea sertis Tempora vincta tuis, doctorum munere vatum"; nam munere praestat scribi, quam munera.

evehere videatur: conferantur enim verba et haec: curriculo (ut Sil. V. 24) pulverem collegisse metaque fervidis Evitata rotis": „Nympharumque chori — lyricis vatibus" et illa: Terrarum dominos evehit ad deos: feriam sidera vertice." Etenim simili oratione opus fuit in descriptione similium institutorum, quorum ab altero exorsus in altero desiit Horatius. Nisi forte hoc ratione fieri putas, ut qui exempla, quae interposita sunt v. 7—28, nota et Romanorum propria esse intelligimus, iidem negemus studia eorum, quos curriculo pulverem Olympicum juvaret collegisse, atque ejus, qui „princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos" sibi videretur, et rara paucorumque exemplo cognita fuisse et Graecorum moribus, quam Romanorum adjunctiora. Quae sic deliberata mirifice discrepant cum illa Wolfii Anal. II. p. 263 sq. disputatione. Quem quidem excessum (p. 261. not. 1) ubi iterum legi, vereri subiit (id quod significavi Stat. Ecl. ult. 1 p. 16 dissentiens a Bernhardyo Hist. Rom. Litt. p. 258. not. 178), ne vir acutissimus quendam medendi modum, quem ipse minime probaret sequereturque, facetissime cavillatus cum profusa doctrinae impensa eo usus sit genere, quo contraria ostenduntur. Quid jam dicam de Lehrsio, qui multa argumentatus p. XXVI sq. adeo non cepit veram hujus carminis speciem, ut versum 32 commacularet sic scribendo: me — Secernunt populo, dum (vel cui) neque tibias Euterpe cohibet? Scilicet hoc jam perspicuum est in omnibus locis (cf. LXIII), in quibus conjectura opus esse videretur, doctissimum hominem sic grassatum esse, ut artis criticae praecepta arbitraretur impune contemni.

XLII.

Qui versus I. 3, 17—20:

Quem mortis timuit **gradum**,
Qui **siccis** oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turbidum et
Infames scopulos **Acroceraunia**

ab Horatio abjudicavit, Peerlkampius persuasit Meinekio et,

quod minime mirum, Lehrsio p. XXXIV. In alia omnia discedendum censeo.

Primum enim illud: mortis gradum", quod qua tandem ratione a simulato Horatio aut excogitari potuerit aut ex v. 33 derivari, nec Peerlkampius explicavit nec qui in ejus auctoritate delitescit, Lehrsius, satis et explanare et firmare videor Claudiani comparatione Mall. Cons. 60: Una potestatum spatiis interfuit aetas Totque gradus fati juvenilibus intulit annis" cf. Barth. p. 88 et Rutil. It. I. 508 p. 146 (sunt enim mille leti facies Sil. IV. 593, aliae aliis foediores Sen. Oed. 180. Lucan. III. 652. Lob. Aglaoph. p. 740. Greg. Naz. Jamb. 18 p. 215. C: πῦρ, ξίφη, βάραθρα, λιμὸν, ἀγχόνην, θῆρας φονῶντας. Pric. Apul. Met. IV. p. 229 sq. Peerlk. Epod. XVII p. 507) et Ausonii Parent. Praef. 8: Munera — Quae Numa cognatis solemnia dedicat umbris, Ut gradus aut mortis postulat aut generis. Hoc satis et tumulis, satis et telluris egenis: Voce ciere animas funeris instar habet", pro quo loco parum intellecto satius fuit a Peerlkampio adhiberi vel Sen. Herc. Fur. 209: finis alterius mali Gradus est futuri" cf. 291: quidquid avida per tot annorum gradus Abscondit aetas."

Magna deinde diversitas doctorum hominum est de versu altero disceptantium. Nam quod Bentlejus protulit ut ad sententiam aptissimé excogitatum ita a memoriae fide disjunctissimum: rectis oculis", id ne nunc quidem desitum est multis magnopere probari, ut Meinekio; qui invictis oculis proposuit Paldamus per eum lapsus errorem, de quo in Cinnae commentariis dicendi copia erit; ante quem Arntzenio Mamertin. Pan. 10, 7 p. 53 idem, quod Cuninghamo, succurrisse video: fixis oculis" illi quidem opinato recte sic dici oculos defixos Hor. Epist. I. 6, 14. immotos Ovid. Met. II. 502. Qui autem siccos oculos retineri volunt, eorum alteri „in summo metu et desperatione lacrimas saepe oriri" curiosius (sed omisso Seneca H. Oet. 1269) disseruerunt, ut Oudendorpius Peerlkampiusque vel Uptonus Arrhian. Diss. Epict. III. 26 p. 226, alteri „siccitate oculorum omne callum animi significari" putant, ut Axtius Spurinn. p. 89 et Blomfieldus Aesch. Sept. 693 p. 163 atque ipse, quem modo nominavi,

Paldamus Actt. ad Antiq. stud. pertin. 1840 p. 1136. Cujus ipsius sententiae ab Augusto Matthiae primo scite expromptae, a nobis Theb. Parad. Coroll. V. p. 370 subtilius defensae, ut oculos nullius affectus indices (Hom. Od. XIX. 211: ὀφθαλμοὶ δ' ὡςεὶ κέρα ἕστασαν) intelligi affirmaremus, omnino poenitere nos coepit, postquam duo simul apparuerunt: et aliud apte poni in invicto ad tristissimos affectus animo, aliud in profligata audacia et omnium opinione plura in vitii suspicionem esse adducenda. Quid enim? num ratione fit, quod progreditur v. 19 oratio non ad novum aliquid, quod etiam majus habeatur iis, quae v. 12—16 allata sunt, sed ad ejusdem rei repetitionem? quid enim differt inter mare Noti rabie sublatum et mare turbidum? quid autem absurdius, quam id, quod minus valet (mare turbidum) iis, quae singula poeta vehementius moverat (tristes Hyadas, rabiem Noti, praecipitem Africum), novorum periculorum mentioni interponi in hunc modum, quem ne Peerlkampii quidem solertia reprobavit: qui monstra natantia, qui vidit mare turbidum et infames scopulos? quidve perversius ista voce non modo levissimae, ut modo docuimus, sententiae addita (qui vidit mare turbidum), sed bis posita: qui siccis oculis monstra, qui vidit mare turbidum?" An vero etiamnum obscurum est vere hunc sententiarum ordinem duci: Qui primus pelago ratem commisit, ei robur et aes triplex circa pectus fuit *) nec is pluvias ac tempestates timuit; quid, quod nullum omnino mortis gradum timuit, qui rigidis oculis „monstra repentinis terrentia saepe figuris" (Cat. Dir. 57. Wernsd. Avien. D. O. 781. p. 1056 sq. et 793 p. 814. Boch. II. Hieroz. V. 12 p. 744) vidit et scopulos „immites subitisque sonoros flatibus" (Claudian. B. Gild. 512. Stat. Theb. X. 537. Barth. p. 1205. add. Claudian. Pr. C. Stil. II. 28: scopulos et monstra maris")?

Quibus ita exquisitis et perpensis licet ipsa fraudum, quae a librariis admissae sunt, cubilia indagare atque excutere. Ac primum quidem quum verba: siccis oculis

*) De quibus verbis quae explicavimus Theb. Parad. Coroll. XXII p. 446, probavit Funkhaenelius ap. Muetzell. Actt. ad gymn. pertin. 1853 p. 86 sq., parum perspicue et definite retulit Orellius.

monstra natantia qui vidit mare turbidum conjungenda esse satis appareat, dubitari non potest, quin qui nescirent apud Virgilium haec legi Georg. III. 259: abruptis turbata procellis Nocte natat caeca serus freta" aut qui parum compertam haberent rem a Charisio et Prisciano contestatam, per Salmasium Exerc. Plin. p. 206. b. E. Heinsium Ovid. A. A. III. 94 p. 660. Burmannum lb. 200 p. 49. Arntzenium Sedul. II. 60 p. 106. Silligium Catull. 4, 23 p. 9 sq., alios jam pervulgatam, mare ventis turbidum sumpserint legentique inculcaverint hoc modo illatum: qui vidit mare turbidum" pro mari ipsis monstris turbido („cum subito emersere furenti corpora ponto Cat. l. d. cf. Sen. Hipp. 1007 sq.), quod poeta his ostenderat: monstra natantia qui vidit mare turbido: hoc enim alteri illi: turbidum" praefero praesertim recordatus Cat. l. d.: Nigro multa mari dicunt portenta natare." Sumpto autem eo, quod evicimus minime sumendum fuisse, fieri non potuit, quin suspensis vocabulis: monstra natantia aliquod adminiculum inveniretur et ipsum hoc, quod maxime obvium esset, adjiceretur: qui monstra natantia, qui vidit mare —." Ut duo simul appareant: et alterum illud qui, quod in principio sententiae jam penitus insedit atque inveteravit, loco movendum esse atque abjiciendum et vitio provenisse nobilem illam tot controversiis vocem siccis. Cujus loco quid antiquitus scriptum extiterit nec difficile ad inveniendum est nec dubie colligi videtur ex vestigiis, quae in uno Leidensi libro manent. In quo quod legitur: scicis tantum abest ut in manifestis librariorum erroribus numerandum esse Peerlkampio assentiar, ut certissimum habeam veri argumentum et indicium: quantulum enim interest inter scicis et scitis id est (cf. I) excitis, quod verbo aliquanto rariori exsertus cum alibi tum apud Claudianum (IV Cons. Hon. 299 exertum agmen. Vatt. Rott. Med. sec. Petav. pr. excitum) nocuisse docuimus Stat. Conject. XX. p. 282 sq.? Oculos exsertos autem sive intentos ac rigidos, ut ait Ammianus Marc. XXIX. 2, 23, apposite ad audacissimi hominis naturam dici quis est quin sentiat? Nec desunt, qui quod Horatio placuerat, probasse videantur et propagasse, Quintilianus XI. 3, 76: oculi

rigidi et exserti" Apulejusque Met. II. p. 144: exsertis et inconnivis oculis" et, nisi quod nos fefellit Stat. l. d. p. 278, Statius.

Quamquam ne nunc quidem perfuncti sumus labore eas eluendi maculas, quae olim adspersae sunt describentium levitate et socordia. Quis enim vel leviter monitus (monuit autem adhuc nemo unus) tolerabilem duxerit hanc orationem: qui fragilem truci commisit pelago ratem, non timuit praecipitem Africum. Quem mortis timuit gradum, qui exsertis oculos monstra et infames scopulos vidit?" Quare graviori sententiae reddendum est fortius vocabulum, quale est aut tremuit (Heins. et Burm. Claudian. Ruf. II. 125 p. 77. Burm. Ovid. Her. I. 16 p. 4 et V. 38 p. 60. Cort. Lucan. IX. 675 p. 454. Drak. Sil. IV. 603 p. 226. Claudian. Epigr. II. 7: Non freta mercator tremuit. Ois. timuit) aut renuit, quod cum exsertis oculis insigniter congruens (Ovid. Her. XVII. 89: oculo renuente negavi") et hoc declaret: eum, qui Africi Notique et Hyadum saevitia non deterritus navigare instituerit, audacia promptissimum ne monstrorum quidem vim infestissimorum atque Acrocerauniorum fallaciam (Sen. Agam. 557 sqq.) refugisse, sed ex alio vitae discrimine ad aliud ultro perrexisse. Eodem autem aut consimili modo (cf. XX sqq.) saepius a librariis peccatum esse ipsis iis exemplis, quae ad illustrandam ejus verbi vim et usum idonea videantur esse, doceam Anth. Lat. I. 175, 6: armatus renuendo proelia miles Nec culpam nec crimen habet. Divion. timendo. Quintil. Decl. CCLVII p. 472: non recusarem catenas: si obligarer foenore, aes alienum tamen non renuissem, ut redimerem patrem." Par. Aerod. timuissem. Leid. cf. Burm. Lucan. VIII. 463 p. 572. tenuissem (ut Claudian. B. Gild. 268: tenuit sic Graja Philippus Moenia. Oisel. renuit. Ovid. Met. XV. 649: multi renuere. Moret. tenuere cf. Quintil. Decl. III. 9 p. 66 renuet. Voss. Leid. retinet. Claudian. R. Pros. II. 287 meruere. Junn: Voss. al. tenuere et L. Seren. 86:. meruit cunabula. Moret. pr. renuunt). Heins. Ovid. Met. IX. 506 p. 664 sq. cf. Adv. IV. 6 p. 609. Sen. Herc. Oet. 985: trepida quid tremuit manus. Flor. vere: renuit. Sedul. III. 80: Spiritus infelix hominem non audet adire Effigiem renuens (hoc enim

probabilius scribi, quam reddens, repetens, recolens, fugiens diximus Subsic. cap. II. p. 8). Quamquam brevius idem suadere videmur sic posse, si dicamus interpretandae vocis renuit gratia a grammaticis alteram: timuit superscriptam fuisse cf. Anth. Lat. Quintil. Sedul. ll. dd.

Denique videndum est de verbis mare turbidum, quae a vero detorta esse et firmissimis argumentis supra comprobavimus et facile vel-ii concedent, qui de reliquis, quarum auctores fuimus, mutationibus existiment posse ambigi. Atque ii quidem, qui Peerlkampii de usu vocis infamis explicantis rationibus moventur, fortasse hoc proferent: monstra — Qui vidit mare et horrido infames scopulos" (ut Auson. Id. XV. 5: mare naufragus horror Infamat." Hor. Epod. X. 3: horridis utrumque verberes latus, Auster, memento fluctibus." Carm. III. 24, 40: horrida — vincunt aequora nautae." Avien. Progn. 72): nos ipsum id, quod supra ponere subiit: „monstra natantia Qui vidit mare turbido", ob nimiam sententiae levitatem adeo jam gravamur, ut insigni librariorum fraude mare turbidum arbitremur subrogatum fuisse in locum nominis Ibericum. Namque Ibericum mare non minus, quam Erythraeum (Bochart. II. Hieroz. V. 12 p. 742) infame monstris fuisse testis est Oppianus Hal. V. 56: *Πολλάκι καὶ νήεσσιν ἄγει δέος ἀντιόωντα Ἑσπέριον κατὰ πόντον Ἰβηρικὸν (κήτεα)* et quos addit Wernsdorfius Halieut. 65 p. 182 P. L. M. T. I. cf. Parthen. fr. XI. p. 267: *Ἰβηρίτῃ πλεύσει ἐπ' αἰγιαλῷ.*

Ergo hoc compertum atque exploratum videtur esse Horatii illum locum ab initio consignatum fuisse in hunc fere modum:

Quem mortis **renuit** gradum,
Exsertis oculis monstra natantia
Qui vidit mare **Iberico** et
Infames scopulos Acroceraunia?

Verum quoniam in ultimo versu nimium laboravit Peerlkampius, primum Statii Theb. III. 121: Ut vero infames scopulos silvamque profundam Perventum („dicit pridem Sphingis insessione infames" Schol. Vet. p. 706) et VI. 155: silvaeque infamis tramite liquit („periculis, quam

propter pericula omnes abhorrebant“ Schol. Vet. p. 407 et Lact.) Ovidiique Met. VII. 269: strigis infames — alas“ auctoritatem non praetereo, qua infames scopulos recte dici perspicuum fiat, quos planius Avienus D. O. 538: „periclis Saepe carinarum famosa Ceraunia“ appellat. Deinde vehementius mirato nomen Acroceraunia a solis Horatio et Ovidio Rem. A. 739 usurpatum (summa Ceraunia enim vocant Lucanus V. 652. Valerius Flaccus III. 465. alta Virgilius Georg. I. 332 et quos attulit et Gronovius Nott. in Sen. Nat. Qu. V. 18 p. 16 Fick. et Oudendorpius Lucan. p. 402, omisit Peerlkampius, Statius Theb. X. 537: „Malean aut alta Ceraunia supra“ et Silius V. 386: mixta Ceraunia coelo add. Priscian. Perieg. 382: excelsa Ceraunia“ cf. Marull. Hymn. IV. Jov. p. 140: Cum stent alta Ceraunia Inconcussa jugis“, reliqui Ceraunia Virg. Aen. III. 506. Lucan. II. 626. V. 457. Claudian. Ruf. II. 221. Pr. C. Stil. I. 174. Prop. I. 8, 19: saxum Ceraunum. II. 13, 3. Avien. l. d. et 659. Priscian. Perieg. 519: saeva Ceraunia nautis“) studium meum ita profiteor, ut duo haec subjiciam: et ei nomini, quod in nonnullis libris Horatii et Martiani Capellae inveniri testantur Oudendorpius et Orellius: Acrocerauniae, patrocinium quoddam quaeri posse loco Leonis Sapient. Novell. ap. Leunclav. Jur. Graeco—Rom. Vol. I. p. 92: ὁ Γλαβινίτζας ἤτοι Ἀκροκεραυνίας et Itinerarii Anton. ap. Palmer. Gr. Ant. II. 3 p. 254: Aulona — Ocroceraunio — Phoenice“, et a memoria Mss Dorv.: „infandos scopulos“ non difficile gradum fieri ad instaurandam mentionem eorum scopulorum, qui proprie insani vocantur: Insanos scopulos atque Ceraunia (cf. Plin. N. H. IV. Praef. 2 p. 271: Acrocerauniis. Leid. Ricc. Aceranniis). De quibus montibus cum alii, quos nominat Stadius Flor. II. 6, 35 p. 312, testes sunt tum Claudianus B. Gild. 512: pars quae respicit Arcton, Inmitis, scopulosa, procax subitisque sonora Flatibus. Insanos infamat navita montes“ (cf. Barth. Stat. Theb. V. 373 p. 190. Burm. Val. Flacc. I. 605 p. 111).

XLIII.

Quod plurimorum consensu IV. 4, 65:

Merses profundo, pulchrior evenit

praevaluit, id pro emergere nove ab Horatio dictum putat Meinekius p. XXI, nos a nullo receptum nisi a Sarbievio (ut Lyr. II. 20 p. 73: Evincitque Notos et inertibus evenit pruinis." IV. 8 p. 156: orta Fides super Turrita terrarum sepulcra Evenit") in eorum vocabulorum numerum adscribere non dubitamus, de quibus dicere coepimus XX cf. XXIV. Intendendum igitur potius alteri illi judicamus, quod ex aliquot libris Vanderburgii et Feae enotatum: exiet Huschkius Tib. Anal. p. 707 (a Cramero Schol. Juvenal. VI. 258 p. 217 non commemoratus) omnino comprobavit, Lehrsius p. CXXVIII duplici arte expolire sibi visus est haec commentus: enitet atque eminet. Qui nostro magis quam Latino sermone assuefactus nec justa Burmanni Lucan. V. 76 p. 306 atque Horatii Carm. II. 8, 5: enitescis pulchrior vel Sidonii Apollin. VII. 5: Sidera sunt isti, quae sicut mersa nitescunt, Adversis sic Roma micat, cui fixus ab ortu Ordo fuit crevisse malis" recordatione ductus est nec aut verbum eminet sensit posthabendum fuisse verbo emicandi, cujus usum probe novit Burmannus l. d. et Claudian. Mall. Cons. 323 p. 264 cf. Arntz. Sedul. II. 71 p. 108 (Minuc. Octav. 3: vel enataret vel — emicaret, emergeret. Sil. XI. 482: subito emicuere per undas — toto exsultantia ponto." Prudent. Cathem. Praef. 44: vinclis — emicem"), aut hoc exploratum habuit, quam tenui discrimine istud exiet sejungeretur ab iis ipsis verbis, quae libris variarent Hirt. B. Afric. VII. 6: subito exeunt. Eliens. exiliunt. Aetn. v. 101 exsilit. Lugd. Hag. exeat. Arator. I. 256 exsiliit. Ald. Bas. exuit. Lucan. VI. 398 exsiluit. Bersm. 1 exuerit. cf. Ison. Gloss. Prudent. l. d. p. 8: exiliam, exeam. Emico est exilio", et ad cujus verbi vim et potestatem proxime accederent ea, quibus Acro et Scholiasta Cruq. usi sunt: emergit (cf. Lucret. II. 200: emergant exsiliantque" et qui eandem rem produnt, Lucil. Jun. fr. 1 p. 215: Siculis de fontibus exsilit amnis" cf.

Aetn. v. 325. 473 ac Senec. Nat. Qu. III. 26: in Syracusano litore emergere cf. German. Phaen. 615: Lucifer — Exsilit Oceano." Stat. Theb. II. 56. Anth. Lat. IV. 251: in me omnis Tartarus exsiliat") et existit (Stat. Conject. XX. p. 281. not. 13. Oud. Hirt. l. d. p. 803. Drak. Liv. XXV. 1, 3). Quid multis moror? quod non dubiis indiciis investigavimus: exsilit, id ab ipso Horatio sumptum ab eodemque hunc potius verborum ordinem:

Merses: **profundo** pulchrior **exsilit,**

quam quem omnes tenent: merses profundo: pulchrior —" (cf. Sil. IV. 802: mersa profundo Punica regna forent"), institutum fuisse auctor est Rutilius, qui Horatii exemplum imitatione se expressisse perspicue his fatetur I. 129: Flevit successus Annibal ipse suos. Quae mergi nequeunt, nisu majore resurgunt Exsiliuntque imis altius acta vadis."

A Rutilio ipsa res parumper avocat ad Claudianum. Namque illa v. 61—64:

Non hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem
Monstrumve summisere Colchi
Majus Echioniaeve Thebae

post Struvium insiticia judicavit Meinekius, cui assentitur Lehrsius p. CCXVIII „ineptum esse Romanos, quorum invictam virtutem poeta celebret, comparari cum Spartis, qui conserta manu victi occubuerint." At calidius initum esse consilium et Claudianus manifestum facit Pr. C. Stil. I. 315: unde rudis tanto tirone juventus Emicuit senioque iterum vernante resumsit Gallia bis fractas Alpino vulnere vires? Non ego delectu, Tyrii sed vomere Cadmi Tam subitas acies conceptas dente draconis Exsiluisse reor" (quod verbum invenitur similiter positum a Lucano VI. 398. Silio III. 688. VII. 46. Ammiano Marc. XXI. 1, 10. Isidoro VIII. 9, 35 p. 270 et Schol. Lucan. I. 637 p. 99. Wak. Lucret. I. 188 p. 46) cf. Pisid. B. Avar. 214: *ἐπεὶ δὲ λοιπὸν ὥσπερ οἱ μῦθοι πάλαι Τοὺς γηγενεῖς πλάττουσι τοὺς ψευδοσπόρους, Τῆς γῆς ὁ πυθμὴν βαρβάρους ἀνέπλασε.* Manass. Chron. 5595: *καὶ λήϊον ἀνέβαινεν ἀντικρὺς βασιλέων ὡς τοὺς Σπαρτοὺς τοὺς γηγενεῖς ὁ μῦθος ἀναπλάττει* et ex ea re intelligitur, quod ab excellentia belli

.e virtutis Spartos amplissime cum plurimi scriptores laurunt, quos in medium attulit Joensius Epist. ap. Graev. yntagm. Diss. p. 216 sq., nos Theb. Rer. Spec. p. 9 sq., tum ui Epaminondae sepulcrum draconis imagine insigne fuisse rodidit, Pausanias VIII. 11, 5: *ἀσπὶς ἐπ' αὐτῷ δράκοντα ἔχουσα τειργασμένον· ὁ μὲν δὴ δράκων ἐθέλει σημαίνειν τοῦ γένους ῶν Σπαρτῶν καλουμένων εἶναι τὸν Ἐπαμεινώνδαν.*

Sed Rutilii ei loco, quem jam video ipsum Peerlkamium p. 385 leviter transisse et tantummodo perstrinxisse, djiciam alterum l. 233: Seu Pan Tyrrhenis mutavit Maeala silvis", quem cum Horatio I. 17, 1 comparare non fugit 'astalionem, fugit Mitscherlichium p. 186.

XLIV.

Quorum auctoritate duci ferme solet, eorum nulla habita ratione Lehrsius p. 44 pepercit versui II. 2, 11:

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas et **uterque Poenus**
Serviat uni.

Etenim „Poeno nullum hic locum esse certum" Meinekio visum est post Peerlkampii disputationem, quam quidem facile omnes concedent esse longe inferiorem subtilitate Schraderi Emend. IV. p. 78 sqq. Et hic quidem pro Poeno inferri jussit pontum, Peerlkampius autem Phoebum, post quos Meinekius quod a Nemesiano Cyn. 65 dictum invenerat: geminis sub finibus orbis", calidiore consilio in Horatii carmen transtulit: et uterque finis." Qui omnes majora conectati sunt, quam quae aut hic locus capiat aut congruere licas cum eo instituto, quod cernitur III. 16, 41 (cf. Schrad. .d. Ouwens. Noctt. Hag. III. 3 p. 369): melius — quam si Iygdoniis regnum Alyattei Campis continuem." Epist. II, 1, 71: quidve (prosunt) Calabris Saltibus adjecti Lucani?" [am cumulate consilio poetae videtur satisfieri, si secundum eceptam illam consuetudinem maximam regionum longinquitem definiendi nominibus Tanais et Gadium (Niceph. Greg. 'II. 5 p. 238, 12) sive Atlantici maris et Ponti (Soph. Oed.

R. 196. Wytt. Plat. Phaed. p. 299) dicatur latifundiis cingi (Sen. Epist. 89) Gaditanum mare atque Pontus, quem fere ad modum apud Senecam Thyest. 461 legitur: nullus mihi Ultra Getas metatur et Parthos ager." Quam sententiam ea ratione, quam suggerit versus II. 13, 15: navita Bosporum Poenus perhorrescit" a Lachmanno sic correctus Thynus (Thoenus Link.) cf. Valg. p. 206, in promptu est efficere: et uterque Thynus Serviat uni." Thynos enim constat alteros „Thraciam circa Salmydesum maxime colere, Seuthae olim regnum" (Holsten. Steph. Byz. p. 140. b), alteros ex Thracia transgressos (Wess. Herod. I. 28 p. 26 Gaisf. Appian. B. Mithrid. p. 296) in Asia sedem habere Scholiasta Apollon. Rhod. II. 177 p. 62 refert: *διτταὶ εἰσὶ Βιθυνίαι· ἡ μὲν ἐπὶ τῆς Εὐρώπης, ἡ δὲ ἐπὶ τῆς Ἀσίας. Καὶ ἡ μὲν ἐπὶ τῆς Εὐρώπης περὶ Σαλμυδησσὸν κεῖται ἐπὶ τῆς Θρᾴκης· ἡ δὲ ἑτέρα καθήκει ἐπὶ τὸν Βόσπορον καὶ ἐπὶ τὸ στόμα τοῦ Πόντου*, praeter eum alii multi, quorum testimoniis stabilivimus supplementum Damageto Anth. Pal. VIII. 497, 4 *ἀκτῇ Νιὰς* in hunc modum a nobis Obss. Crit. Anth. Gr. XII p. 235 sq. Actt. Philol. Cassel. 1844 scriptum: *ἀκτῇ Θυνιὰς* illud quidem eodem tempore a Lobeckio Pathol. p. 524 inventum. Verum enimvero Rutilii It. I. 145: Aeternum tibi Rhenus aret, tibi Nilus inundet" recordatio animum inclinat, ut haec potius vera esse credam:

et utrinque Rhenus
Serviat uni.

Cui sententiae suffragatur et ejus erroris similitudo, qui cernitur apud Claudianum Sec. C. Stil. 71: si Poenus adhuc incumberet Austro." Leid. Voss. al. Rhenus. Burm. Lucan. X. 475 p. 730 cf. Drak. Liv. XXIII. 1, 6 p. 367, et frequentissima vocum uterque et utrinque permutatio, quam contestati sumus in Stat. Ecl. ult. 33 p. 51 cf. Claudian. Epigr. III. 4: sudor uterque. Clav. cod. utrique. Utrinque Rhenus servit autem, ut Quintil. Decl. XIII. 3 p. 274: rivus utrinque ripa virente praeterfluit." Martial. X. 7. 7: Rhene Romanus eas utraque ripa. Claudian. Mall. Cons. 54: quoties doluit Rhenus — Quod te non geminis frueretur judice ripis. Sil. III. 599: Compescet ripis Rhenum" cf. XI. 480: ripis utrinque sequentibus Hebros." Nec omitto Sarbievium

I. 21 p. 39: Corripit fluctus et utroque Rhenus Margine servit" cf. Sil. III. 150: Tibris tibi serviat omnis."

XLV.

Incredibilia narrat Lehrsius p. CXXXIII, quum istam sententiae extenuationem, quam habet vox prope, omnino detrahendam esse assensus aliis versus IV. 14, 20 sq.:

Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster Pleiadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas

a rhetore aliquo ait factos esse, non ab Horatio. Sed ne ejus quidem, qui graecum illud σχέδον τι in comparationem adduxit Actt. Muetzell. ad gymn. pertin. 1841 p. 329 (cujus doctrina uti videtur Orellius), rationes quidquam valent nec Meinekius allato hoc carminis, quod de Moribus scripsit Cato (Gell. XI. 2), loco: vita humana prope uti ferrum est" majus adjumentum caussae propositae quaesivit, quam si quis expromat verba Sat. II. 3, 268: haec — tempestatis prope ritu Mobilia et caeca fluitantia sorte." Nimirum omnes, quum longe alii parti intendendum esset, quaesiverunt, ut ajunt, nodum in scirpo. Quis enim ignorat ita tulisse veterum poetarum morem, ut ad exprimendam maris ab Austro turbati imaginem adsciscerent Adriacas, Siculas, Icarias, Aegaeas, Jonias (Epod. IX. 19) undas, denique proprium potius quodlibet nomen usurparent, quam illud indomitas? Quod ex ipsa hac caussa vix est dubium quin ex Ovidii Tibullique carminibus huc translatum sit eo fraudis genere, quo et Ibericum mare apud Horatium modo (XLII) vidimus factum esse turbidum et apud Statium Theb. V. 38 in Fabri libro Edonas (hiemes) vertit in edomitas, apud Catullum 64, 178 Idomeneus (montes) in libro Dati in idoneos, apud Ovidium Trist. III. 4, 22, si vere judicavit Bentlejus, Icarias in immensas; consulto enim praetereo istud Martialis, quod Carm. I. 22, 13 ab Heinsoethio vere in locum vocis militaris suffectum esse credit Heynemannus de Interpol. p. 51. Placetne igitur sic statui: Austrum undas prope Jonias in-

sulas exercentem ab Horatio his memorari: Jonias prope qualis undas Exercet Auster", nomen Jonias autem, quod contestatum est codicibus Prisciani Perieg. 550: Continuo Sporadas ceu stellas adspicis albas Joniasque simul", a librariis, antequam in indomitas detorqueretur, scriptum fuisse Jonidas, quod ipsum in Ald. et Ven. Prisciani exemplaria perperam illatum est (apud Dionysium enim v. 533 exstat *Ἰωνίδες* idemque apud Avienum 712: attolluntur Jonides insulae ab alto")? At obstat atque officit vox undas adeo ad ejus nominis societatem propendens, ut jam altera videatur haec adjungenda esse mutatio: Jonias prope qualis undam Exercet (ut Sil. XVI. 196 al.). Unde facile ducimur ad suspicandum eo erroris genere, quod VI. XII attigimus (centiceps auras: centiceps spiras. ardens urit: ardens se urget cf. remis suburgens LXXI. jugis exsomnis: jugis zonaeis XLVI. add. natarunt aequore: natarunt tergore LXIII), ruinisidonitem (Stat. Conject. I. p. 159) vel sidonidem id est (Theb. Parad. p. 450 sq.) Sithonidem olim scriptum fuisse:

Sithonidem prope qualis undas
Exercet Auster

sive mavis Sithoniam; hoc enim nomen usurpavit Euphorio fr. LV p. 97: *Ἀλλὰ ἐ Σιθονίῃ τε καὶ ἐν κνημοῖσιν Ὀλίνθου Ἀγρώσσοντα* simile nomini *Ὠθονίῃ* Nicandr. Georg. fr. II. 11. Bistonia Val. Flacc. III. 160, illud Apronianus Virg. Ecl. X. 66 ap. Suring. Schol. Lat. II. p. 154: Sithonis Thraciae regio a Sithone Phyllidis patre dicta" simile nominibus *Ἠμαθίς* Mein. Anth. Del. p. 221, *Ὀδρυσίς*, Caspias Sen. Herc. Oet. 145. Sugdias Avien. D. O. 924. Daunias Hor. I. 22, 14, quod aliis exemplis Theb. Parad. p. 361 confirmavimus.

Itaque Sithonides undae (Ovid. Her. II. 6) hoc loco dicuntur. De quo quod Porphyrion p. 428, 29 sic disserit: Mirum quod sequitur *ἀνακόλουθον*; cum enim praedixisset qualis, non intulit quod erat consequens talis, sed impiger. Ergo sic totum intelligendum: qualis est Auster cum ortu Vergiliarum concitatus quum exercet undas, tam impiger Drusus hostium turmas vastabat", satis est commonuisse et ejus generis, de quo est Stat. Theb. IV. 794: „Sic tener Odrysia Mavors nive, sic puer ales Vertice Maenalio, talis

per litora reptans Improbus Ortygiae latus inclinabat Apollo". et XI. 12: Quantus Apollineae temerator matris Averno Tenditur — Sic gravat injectus terram" cf. Virg. Aen. VI. 208 sq. vid. Markl. Stat. Silv. I. 2, 242. Cort. Lucan. V. 183 p. 594, et illius, quo idem usus est Silv. V. 3, 211: nec enim mihi sidera tantum Aequoraque et terras, quam vos debere parenti." vid. Adn. Ecl. ult. 9 p. 21.

XLVI.

Ejusdemmodi vocabulum restituendum est III. 30, 12:

Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae **Daunus** agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.

Namque Daunum aquae pauperem regionis aridae et siticulosae regem eleganter dici Bentlejo non magis credo (nec credidit Peerlkampius), quam Servio Virg. Aen. XI. 280 p. 24: figura Graeca est, sicut Horatius agrestium regnavit populorum pro agrestibus populis", Porphyrioni p. 379, 16, Vechnero Hellenolex. I. 24, 4 p. 205, Axtio Spurinn. p. 66 ut nove ita recte ab Horatio dictum esse istud: regnavit populorum. Immo vero ipsi sententiarum concinnitati hoc dandum est, ut parti illi: qua violens obstrepit Aufidus" mutatis istis verbis, quae codices praebent regnavit, regnator, haec subjiciatur: et qua Daunia „semper — laborant arva siti" (Corippi enim libuit verbis uti Justin. V. 272) cf. Avien. D. O. 229:

Et qua pauper aquae Dau**nis**, agrestium
Reg**num**, **aret**, populorum.

De altera, quam fecimus, mutatione satis est adjicere apud Martialem IV. 29, 8 esse: levis in tota Marsus Amazonide, apud Nestorem Vocab. p. LXXVI vers. Marsis. Daunis autem, ut Daunias eo loco, quem modo XLV p. 88 indicavimus, *Δαυνίς* Arcad. p. 32, 16. *τῆς Δαυνίτιδος χώρας* Scylac. Peripl. p. 11 Gron. — nam silentio transmitto Jeverum in Lucani commentariis Daunium oppidum commentum —; populorum

autem, quod pro hominibus dictum probari posse Peerlkampius negavit, ut Lucil. III. 3 p. 28 Dous.: Inde Dicaearchum populos Delumque minorem" (Lachm. Dicaearchium. Anal. Prop. I. p. 8 Dicarchitum). Sen. Herc. Oet. 1811: Arcadum an populos petam? 1817: Thracias gentes petam Hebrique populos. Lucan. VIII. 144: Da similes Lesbo populos." Sil. XIV. 157: Poenorum populis. II. 272: Ausoniae populi. Auson. Mos. 407: Italum populi. Avien. D. O. 117 Aeneadarum. Sidon. Apollin. Ep. VI. 12 Dodonigenas populos. Coripp. Jo. Praef. 26: Urbis per populos cf. Sen. Herc. Oet. 607: omne tua vulgus in aula — Tot populis stipatus eas." Mirum autem a Schradero, qui de Apulia siticulosa dixit in Avien. D. O. 526 p. 1007, hunc ipsum Horatii locum omissum esse. Nam Heynemannum silentio transmitto, qui de Interpol. p. 32 sq. multa nequidquam argumentatus est ne illius quidem versus memor: Nasone Peligni sonant." De Hauptio dixi XXX p. 34.

Libet illud subnectere, quod hic occurrit quasi alterum supplementum eorum, quae exposuimus XLV. Neque enim ab illis exemplis, quibus consilium indomitas undas in Sithonidas convertendi probare visum est, separare debemus memoriam versus III. 25, 9:

Non secus in jugis
Exsomnis stupet Euias
Hebrum prospiciens et nive candidam
Thracen ac pede barbaro
Lustratam Rhodopen

a Bentlejo sic correcti: Edonis stupet Euias." Quod nomen ex Ovidii Trist. IV. 1, 42 huc vere translatum esse quamvis multorum consensus judicaverit, dubitari tamen videtur posse, an aliud lateat et ad locorum descriptionem aptius et ad litterarum fidem non minus probabile. Hoc enim proclivi conjectura colligitur pro eo, quod consignari coeptum esset soneis, somnis erupisse, inde pro jugis soneis jugis isomnis sive jugis exomnis (sic enim apud Virgilium Aen. VI. 556 variatum scribendo est exsomnis. Venet.

somnis. Mediol. insomnis), nisi facilius hoc ducis com-
e
endium: sonis, esonis, exsomnis:

Non secus in jugis
Zonaeis stupet Euias.

uctorem do Nicandrum Ther. 461: *Ἕβρος ἵνα Ζωναῖά τ' ρη χιόνεσσι φάληρα Καὶ δρύες Οἰαγρίδαο* cf. Hemst. ap. 'alck. Theocr. VII. 111 p. 117. Theb. Parad. Coroll. XXII . 442. Levius hanc causam attigerunt Wordsworthius et 'ritschius Theocr. l. d. p. 238, quorum ille „versu Theocriti Bentleji conjecturam probari" ait (ut Meinekius p. XVIII), ic „ei mutationi proxima verba: et nive candidam Thracen refragari" affirmat.

XLVII.

Redeo ad carmen IV. 14. In quo quae v. 25—32 sub- uncta est alteri v. 19 sqq. comparatio:

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Appuli,
Cum saevit horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris,
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu
Primosque et extremos metendo
Stravit humum sine clade victor,

n mediocre momentum accessit ei disputationi, qua Lehr- us ipsos eos versus, de quibus modo (XLV) absolvimus, siticios esse effecisse sibi visus est. Ceterum vidit aliquid, i eundem ducem in duarum deinceps rerum (v. 21. 25) com- rationem evectum gravatus est p. CXXXIII, vidit etiam erlkampius p. 432, qui „hoc non probavit Drusi vix fieri entionem, in Tiberio tot versus impendi." Sed utraque res rudenter animadversa tantum abest ut ad deminutionem tan- m de Horatii carmine faciendam omnino valeat, ut ad viti- rum, quae jam penitus insedisse videantur, investigationem erto dirigat. Sic autem habeto: Postquam per singula eundo oeta praedicavit Drusum militiae rudimenta in Germanis

et Breunis praeclare posuisse (Frank. Fast. Hor. p. 211), Tiberium more Austri undas exercentis Raetos vexasse ac debellasse (Frank. l. d. p. 211 sq.), utriusque Claudii laudes complectendo inchoatum argumentum sic perficere ei visum est, ut fratrum adversus barbaros rem Augusti auspiciis gerentium (v. 9. 16. 34. Passov. Scriptt. Miscell. p. 324 cf. Barth. Rutil. I. 328 p. 100) impetum parem diceret esse violentiae Aufidi agris diluviem meditantis. Itaque quaeri videtur posse, an quae verba cum omnibus satis placuerunt tum Sarbievio IV. 29 p. 188: tempestas — Camposque frugesque et pecorum procul Armenta vasto proruit impetu" similiter composita et in iis locis, quos attulit Burmannus Ovid. Met. VIII. 359 p. 583, et a Silio XIII. 189: ruit impete vasto Ad portam" et Seneca Herc. Fur. 285: scissa cum vasto impetu Patuere Tempe", praestet in hunc ordinem digeri:

Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vaste diruit impetus
  Primosque et extremos metendo
    Stravit humum sine clade victor.

Claudius impetus, ut IV. 4, 73 Claudiae manus, diruit impetus (quod similem maculam traxit atque Epod. X. 19: Jonius — remugiens sinus Noto" in Bland.: sinu Notus"), ut I. 3, 36: Perrupit Acherontem Herculeus labor." Claudian. B. Get. 140: virtus Scipiadae Latiis tandem deterruit oris.". Munck. Fulgent. III. 5 p. 672. Vellej. II. 79, 3: partem classis — adorta vis Africi laceravit ac distulit", vaste diruit autem, ut Ovid. Met. XI. 530: Vastius insurgens decimae ruit impetus undae" cf. Virg. Aen. IX. 517: molem — quae stravit Rutulos late. Sen. Phoen. 628: licet arma longe miles et late explicet." Pomp. Mel. II. 3: vaste patens. Lucret. I. 957: an immensum pateat vasteque profundum." Illa autem verba: impetus sine clade victor" quum non requirant probationem, faciunt, ut declinem ad eam insolentiam, quae manet in carmine IV. 9, 39.

XLVIII.

Quod animus consul dicitur IV. 9, 39:

Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus
Vindex avarae fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae
Consulque non unius anni,
Sed quotiens bonus atque fidus
Iudex honestum praetulit utili et
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma,

d Peerlkampium et Lehrsium — nam alios praestat silentio ransmitti — transversos egit, ut ille facta versus 37 hac mutatione: Vindex avarae es fraudis" versus 45—52 inducendos atque abolendos censeret, hic p. CXXXII hos ipsos versus tueretur retineretque, superiori parti, quam Peerlkampius comprobaverat, aliquot versus excerptos adimeret, reliquos in hunc modum digereret: Est animus tibi Vindex avarae fraudis et abstinens Ducentis ad se cuncta pecuniae Rerumque prudens et secundis Temporibus dubiisque rectus. Non possidentem —." Crederes, si talia curae esse scires viro doctissimo, lecta ab eo fuisse Sarbievii Lyrica III. 18 p. 111: Haec illa magni pectoris indoles Sese ipsa rerum fluctibus erigit Curasque et alternis natantem Consiliis animum remiscet, Vindex avarae fraudis et abstinens Lucrantis auro regna pecuniae Rerumque prudens nec cruentae Laudis iners animique parca." Verum has sententias, quae in contrarias partes tendentes et inter se noceant et ingentia Horatio inferant damna, non ita necesse est studiose atque accurate refellí idque eo minus, quod et ad tollendam vocum animus consul novitatem et ad levandam alteram illam difficultatem, quam his ostendit Peerlkampius: animus victor sua arma explicat non magis ferendum est, quam superiora", satis tuto perveniri videtur, si aec sumas fuisse ab Horatio dicta: Lollii animus avarae

fraudis vindex et pecuniae abstinens consulta sua tam arma victor explicuit, non semel atque iterum, sed qu judices, quo et vitae, quod teneret Lollius, institutum tionum stabilitas vocasset, sua sponte sequuti (Carm. Pa Pis. 46) honestum utili praeferrent et dona nocentium cerent (utili et enim extat in duobus Vanderb. codicibu

Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus.
Vindex avarae fraudis et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae
Consulta non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Iudex honestum praetulit utili et
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.

Quae singula licet his exemplis illustrare et confirmare: sulta abstinentis animi, ut Sil. XIII. 402: consu que pectoris aegri Pandit." v. 479: arguit asper E eventu pravi consulta timoris" cf. Tac. Ann. V. 6: vitia, libidine, malis consultis animus dilaceratur", sulta unius anni, ut Sall. Iug. 11, 5: quinquennii sulta omnia et decreta", alia ap. Cort. Cic. Epist. II. p. 85 et Sall. p. 454. Wopk. Justin. XXII. 8, 10 p. 209; plicuit, ut Caes. B. C. I. 78, 4: ibi se reliquum co lium explicaturos confidebant" et iis locis, quos I sius et Oudendorpius p. 598 attulerunt et Cortius Cic. E IX. 25, 2 p. 481. add. Quintil. Decl. I. 6 p. 12: impetus tium, quos non explicant ministeria membrorum. II. 9 p manus, quae sua quoque ministeria non explicant. I. 11 p qui caecus explicare conetur facinus." 7 p. 18: explic tam difficile facinus." Consulta autem arma recte declarat vel Sophocles Oed. R. 170 φροντίδος ἔγχος et pertius III. 20, 27 et Petron. Anth. Lat. III. 128, 6 De sthenis arma. Cic. Catil. I, 2, 4.

XLIX.

Redeo ad carmen IV. 14, de quo nondum absolvi. In explicandis enim his v. 9 sq.:

Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces et arces
Alpibus impositas tremendis
Dejecit acer **plus vice simplici**

plurimum omnes laborant, Lehrsius p. CXXXIV tantum incommodum molli pede transit verbaque vice simplice vitium duxisse significat. Fieri igitur non potest quin ipsas eas recenseamus atque examinemus sententias, quae sunt maxime insignes et consensu majoris turbae frequentes. Sunt enim, qui istud plus vice simplici velint esse plus quam semel nec reputent, id quod ne Mitscherlichius quidem p. 452 et Peerlkampius inculcarunt, recte dici plus vice triplici vel plus quaterna, quod sibi permisisse video Sarbievium IV. 8 p. 157: vice plus quaterna Tentata nostris moenia classibus Stetisse." Alii proelium vel ultionem dici interpretantur et ea animadversione digni, quam commodavit Peerlkampius, et illud non assequuti: aliud subesse in illo verborum ordine: plus vice simplici, aliud in hoc: vice plus simplici, qui refert illud: plus uno Scalig. in Varr. R. Rust. p. 201 sq. Dordr. Burm. Quintil. Decl. XII. 18 p. 260. Itaque hoc primum et doceo et accuratissime tenendum esse dico: verba acer plus vice simplici et conjuncte dicta (id quod non omnino fugit Acronem p. 426, 14: aut quia dixit acer non vice simplici." scrib. „aut conjuncte dixit") et eodem composita modo atque illa Ovidii Her. XXI. 8: Illa tamen justa plus tibi parte favet" cf. Heins. Trist. III. 3, 16 p. 557 hanc habere sententiam: Drusus plus acer, quam ferret unum munus vel ministerium. Documento utriusque rei sunt exempla ea, quae attulerunt Burmannus Nemesian. Ecl. IV. 72 p. 537 et Arntzenius Sedul. Prol. 6 p. 26. Aurel. Vict. Epit. XLIII. 7: audax plus, quam Imperatorem decet" cf. Salm. Spartian. Carac. 1 p. 707. Lips. Tac. Ann. I. 12. Barth. Lucan. I. 1 p. 2. Wach. Cat. Dist. IV. 11 p. 217, atque ea, quibus vicem pro munere poni docuit Heinsius Phaedr.

III. Prol. 14 p. 152. Liv. I. 20: sacra regiae vicis. Petron. Troj. Hal. 46: Uterque fratri transtulit pias vices." Nec obscurum est, quo spectet ea ministerii non simplicis (ut Virg. Georg. III. 482: Nec via mortis erat simplex" cf. Bernecc. Justin. XII. 10, 2 p. 216. Aurel. Vict. Epit. XL. 8. Lactant. I. 10, 6: simpliciter mortuos" id est non alternis. Burm. Lucan. III. 751 p. 226) sive gemini atque adeo multiplicis commemoratio. Neque enim praestitutae carminis formae non consentaneum fuit rem indicari, quam contestatus est Dio Cassius LIV. 22: καὶ ὃς — διὰ ταχέων ἐτρέψατο· ὥστε καὶ τιμὰς στρατηγικὰς ἐπὶ τούτῳ λαβεῖν. Unde discitur bello, quod et certaminum varietate et laborum periculorumque magnitudine insigne esset, Drusum rudimenta ita posuisse, ut et in rebus manu gerendis et in consiliis tum celeriter capiendis tum strenue exsequendis (Carm. IV. 4, 24) se praestaret acerrimum. Quae ministeria militis ducisque felicissime explicata enucleatius refert Vellejus utriusque ducis res complexus his II. 95, 2: Raetos Vindelicosque aggressi multis urbium et castellorum oppugnationibus nec non directa quoque acie feliciter functi gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces majore cum periculo, quam damno Romani exercitus perdomuerunt" cf. Frank. Fast. p. 211 sq., Horatius monstrat iis versibus, quibus et ipsos hostes ad incursiones expeditissimos et immanitate barbaros (cf. Dion. l. d. Flor. IV. 12, 5. Vellej. l. d.) pulsos et multa castella oppugnata esse narrat: Genaunos, implacidum genus, Breunosque veloces et arces Alpibus impositas tremendis dejecit" (quas laudes vix vereor ne quis memor Dionis l. d.: καὶ ὃς πρὸς τοὺς ἀπαντήσαντάς οἱ αὐτῶν περὶ τὰ Τριδέντινα ὄρη συμβαλὼν διὰ ταχέων ἐτρέψατο circumscribere instituat hac corrigendi usus ratione: Breunosque veloces ad arces sive sub arces — dejecit" cf. Stat. Theb. I. 20: conjurato dejectos vertice Dacos" ac Petron. Mut. Rom. Reip. 209: Dum Caesar tumidas iratus deprimit arces").

Quoniam autem Meinekius p. XXI multa in hoc carmine injustissime criminatum esse Peerlkampium brevius indicavit, licet duo adjicere. Quod enim „Eutropio historico dignius, quam poeta lyrico" visum est Peerlkampio: mox grave

roelium commisit, id idoneo defenditur patrocinio Silii on illo XIII. 230: solitum aequali ludo committere equestres cipiadae pugnas" (Virg. Aen. V. 69), sed hoc XIII. 155: raevetitum namque et capital committere Martem Sponte ris" et Valerii Flacci VI. 31: Tunc et quisque suis committit proelia telis" atque Ovidii Met. V. 307: Huc venit tali committunt proelia voce" Statiique Theb. VI. 13: Cui superum nostro committere sanguine pugnas ulce", de quorum sententia ambigi nequit propter Barthium 403. Perizonium Animadv. Hist. X. p. 452. Burm. Val. acc. l. d. p. 493 et Ovid. Met. XII. 68 p. 873. Drak. Liv. XXI.), 1; inchoasse enim et inisse grave proelium Tibeus dicitur ille „ad debellandos hostes, qui ab Italia propulti tamen vicinam Galliam depopulari perrexissent, fratri datus djutor" (Frank. l. d. p. 211) et in diversa parte belli molem ggressus (Ruhnk. Vell. II. 95. p. 174). Sed quod v. 3 legitur: a aevum aeternet, id immerito a Meinekio in loco retiori videmur supra II probavisse.

L.

Quod optimorum librorum consensu probatum IV. 4, 24:

Lateque victrices catervae
Consiliis juvenis revictae

nove dictum esse pro vicissim victae praeferendumque alteri repressae (Porphyr. codd. Lamb. Bentl.), quod glossemati simile videatur esse, Meinekius censet creditque Lehrsius p. CXXVIII, id ego dubito an (non minus falsum, quam illud redomiti Cic. p. Sull. 1, 1, quod corrigendi alias copia erit) in eo genere sit numerandum, quod tractare ingressi sumus XX cf. XXIV. Consentaneum est enim ejusmodi quiddam circumspici, cui probabiliter dicas ab interpretibus adscripta fuisse verba utrique fraudi opportuna, tum illud repressae, tum quod par et simile esset ei, quod posuit Acron: a Druso adhuc puero superati sunt" victae instructum ad conflandam vocem revictae, qua usum video Sarbievium IV. 6 p. 160: revictum Uno Asiam Libyamque

bello." 8 p. 156: revictos consilio dolos." Quale affirmaverim esse hoc (refractae : revictae):

victae
Consiliis juvenis **refractae**.

Refractae catervae, ut apud Statium Silv. IV. 5, 8: Jam Zephyris Aquilo refractus." Hor. Carm. III. 3, 28: nec Priami domus Perjura pugnaces Achivos Hectoreis opibus refringit. Passerat. Prop. III. 2, 44 p. 421. Barth. Gulielm. Brit. VI. 109. p. 385. Heins. Prud. *περὶ στεφ.* V. 432. p. 287. Add. Lucan. V. 596 victis compagibus. Hamb. tert. fractis. VII. 851: infecta. cod. Cort. infracta cf. Brieger. Philol. XXV. 1 p. 83 (fugemus: vicimus). Valg. p. 126.

LI.

Hic mihi temperare non possum quin strictim attingam illum de Amazonia securi locum v. 18 sqq.:

Vindelici, quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, **quaerere distuli**
Nec scire fas est omnia, sed diu
Lateque victrices catervae
Consiliis juvenis **refractae**,

quem Bentlejus ab omni vituperatione ac detrimento sincerum integrumque conservavit Sarbieviusque ita probavit, ut quaedam inde delibata transferret in carmina I. modo (L) d.: Olim revictos consilio dolos Dicam Plaveni. Cetera distuli" et IV. 29 p. 189: nunc etiam truces Ad saeva ferri fulgura: sed diu Neglecta pacabunt juventam Otia", nunc plurimi de Guieti auctoritate affirmant „ineptum esse glossema", ut Frankius Fast. p. 212. Meinekius p. XX. Lehrsius p. CXXVIII. Heynemannus de Interpol. p. 34. A qua libidine (quid enim levius dicam?) omnis assensio vel idcirco cohibenda est, quod nemo, quod sciam, illud, quod maxime necessarium fuit, explorate percepit edisseruitque, qui fieri potuerit, ut rem ut nullo auctore cognitam (cf. Serv. Virg. Aen. I. 243 p. 48) ita ad Vindelicorum famam et existimationem perquam insignem

ipse interponeret sive grammaticus aliquis male ingeniosus sive iste rhetor, quem animo informavit Lehrsius. Quanto igitur cautius atque accuratius in difficillima caussa versatus est Gessnerus, qui Domitii Marsi poema Amazonidem hic perstringi significavit. Adversus quem Heynemannus ita disputat, ut quod illi non permittit, sibi tamen ipsi permittat praejudicatae opinioni addictus: „unde tandem, inquit p. 35, totum istud hausit Gessnerus, in Amazonide Marsi ullam fuisse mentionem Vindelicorum? — Videntur autem Vindelicorum secures utpote singulare quiddam et memorabile, ut omnino hujus gentis mores atque origines gratam grammaticis disputandi materiam post bellum Drusi et Tiberii suppeditavisse: hinc et spurium carminis nostri ornamentum fluxit et Servii adnotatio.“ Ceterum nos ipsi ut Domitii Marsi mentionem dimittendam esse censemus propterea, quod Amazonidem non gravi, sed tenero metro compositam fuisse docuimus in Corollario ad Leuschnerum misso Progr. Friedl. 1858. III. p. 7, ita facile concedimus eum, qui Gessnero faveat, posse suspicari aliquid de Hostii bello Istrico vel, id quod probabilius ducimus, de Furii Antiatis Annalibus belli Gallici (Valg. p. 245). Sed non modo lubrica fortasse haec atque ambagiosa judicabitur esse conjectatio, verum a gravitate carminis Drusi laudibus dedicati, id quod diximus Coroll. l. d. p. 7 sq., omnino abhorrere videtur ejusmodi significatio vel reprehensio, qualem Gessnerus finxit. Quare malo (ab ea sententia non omnino abhorrens, quam spernendam esse credidit aliis Heynemannus p. 34) sic statuere: Horatium nulla „recordatum veterum monumenta virorum“ Amazoniae securis famam contulisse in quoddam quasi testimonium illius, quam Romani bello experti essent, fortitudinis Drusique meritis illustriore praedicatione circumferendis ita consuluisse, ut quas catervas diu lateque victrices acerrimus dux tandem refregisset, eas ab ipsis Amazonibus originem duxisse fingeret et eo, quo cernimus, modo significaret. Quae quidem suspicio nonne hoc habet argumenti aut rationis, quod et „Sibi, quibus pelles ferarum pro veste, clavae pro telo erant, majores suos de exercitu Herculis esse memorant“ (Curt. IX. 14, 2) et, ne ad alia abeam, quae restant plurima, Tirynthiis

bello.“ 8 p. 156: revictos consil· ..in. VIII. 1. p. 152 sqq.)?
victae ..ententiolam, quam metri
verim esse hoc (refractae : enim sibi persuasit Heyne-
Consiliis ..giendam difficultatem mire in-
Refractae catervae. ..st omnia (cf. I. 11, 1) in expe-
Zephyris Aquilo ref· Peerlkampius Virg. Aen. X. p. 261
Priami domus Per· ..ct. 22, 1: ecquis. Vet. Cusp. necquis.
fringit. Passe· ..24: Nec tibi dedecori. Luc. al. Et tibi.)
Brit. VI. 10p ..III. ..rigere:
Add. Luc· .. corrigere: quibus
VII. 8r Mos unde deductus per omne
XX· Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quaerere distuli
Ac scire fastus semina

sive mavis: distuli et Haec scire fastus semina.“ Ut Vindelici dicantur ipsam Amazoniam securim habuisse fastus sui semina, ut apud alios legimus semina laudum Heins. Ovid. Her. IX. 83 p. 125. semina virtutum, scelerum Barth. Stat. Theb. IV. 212 p. 974. odii Ovid. A. A. III. 512. Scire autem, ut Sil. VI. 168: Scire nemus pacemque loci explorare libebat.“ III. 12: casus scire futuros — bellique vices novisse petebat.“ Salm. Vopisc. Saturnin. 7 p. 717.

LII.

Imperitiae condemnaut Peerlkampius et qui in hoc caussarum genere se libenter praebet credulum, Lehrsius eum, qui fecit carmen III. 17, nec Meinekius lenioris sententiae auctor versus hos (2—5):

Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos et nepotum
Per memores genus omne fastos,
Auctore ab illo ducis originem

non negat esse Horatii. Longe alia mens est nobis subtilius codicum vestigia rimantibus. Quod enim Heinsii conjecturae: ducit posthabuerunt Bentlejus et Hauptius omnium librorum consensu proditum: ducis, id non dubie arguit ejus grammatici operam, qui superscripsit litteras is, non quod du-

cis corrigi vellet, sed ut verum esse discet indicaret, non ducet (cf. Heins. Claudian. R. Pros. II. 367 p. 598). In hanc enim sententiam Horatius ea, quae jam legimus, videtur scripsisse: et priorum fama fert Lamias a Lamo denominatos et per memores fastos discent nepotes omnes ab ipso illo Formiarum principe esse gentis suae originem:

Quando et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos et nepotum
Per memores genus omne fastos
Auctore ab illo discet originem,
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps — tenuisse.

Per fastos discere, ut Ovid. Rem. 43: Discite sanari, per quem didicistis amare". A. A. III. 27: lascivi per me discuntur amores". Ciof. Ib. 249 p. 57; memores fasti autem dicuntur ii, qui cum aliorum Lamiarum laudes habent, tum earum virtutum testes sunt, quibus ipse ille, ad quem hoc carmen missum est, innotuit et generis honorem amplificavit.

Sed ut partes expleam a Meinekio prudentissime inchoatas p. XVIII, quam maculam adspersam esse versui 10:

cras foliis nemus
Multis et alga litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet

his Peerlkampius indicavit: Nemus privatur foliis, non sternitur", eam eluere nullius negotii est. Quid enim? nonne ipsa vox multis, cujus significatione nihil fingi potest quod sit et inertius et alienius, certissima tamquam obses habetur fraudis ab iis admissae, qui quod verbum Horatius posuerat, multabit:

cras foliis nemus
Multabit alga et litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet,

id ignorarent interdum ita poni, ut „addatur ablativus rei, quae adimitur: multare bonis, libertate" (Schulting.

Calpurn. Decl. XVII p. 814. Duk. Flor. II. 14, 5 p. 383. Vorst. Sulpic. Sever. Hist. Sacr. II. 19, 4 p. 220)? Ipsum verbum multare autem insolentius, quam quod legitur II. 9, 8: Et foliis viduantur orni", et exuere, spoliare Burm. Val. Flacc. III. 332 p. 274. Stat. Silv. V. 1, 153; at frequens illud, quo usi sunt Seneca Hipp. 966: Ut nunc canae frigora brumae Nudent silvas" et alibi: nudum nemus et Silius, quibus locis dicit Burmannus l. d., et Plinius N. H. XVI. 22, 34: utpote quum quaedam primae germinent et inter novissimas nudentur."

LIIII.

Qui omnia sua unius doctrina et intelligentia metitur, Lehrsius versus II. 12, 9:

tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius

offensior quadam vocum tuque et pedestribus importunitate praecipiti audacia ad hanc formam revocavit: neve pedestribus Dici carminibus proelia Caesaris, Maecenas, jubeas." Quod inceptum confutare nihil attinet: illud adnotasse satis est verba pedestres historias nec reprehensa esse a Barthio Stat. Silv. II. 7, 22 p. 249 aut alio quoquam et satis explanata a Meibomio Maecen. XXV. 10 p. 157 et Bernhardyo Hist. Rom. Litt. p. 258. not. 178. Quod vero merito in vitii suspicionem venit: tuque, id corrigi licet exiguo conatu. Quum enim hunc sententiarum ordinem a poeta institutum esse appareat (quamquam id parum percepit Lehrsius): nolis longa ferae bella Numantiae — mollibus Aptari citharae modis: namque tu ipse melius pedestribus historiis proelia Caesaris dices, me Licymniae laudes dicere Musa voluit", vix dubium videtur, quin quod olim sic consignatum fuisse tuce arguas auctoribus Gudio Phaedr. III. 12 p. 67 et Marklando Stat. Silv. I. 4, 115 p. 206. add. Valg. p. 430, id vere ad hunc statum redigamus:

Tute pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris

atque Horatio jam merito id reddamus, quod Ennio, Lucretio, Virgilio et, ne omnes recenseam, Prudentio περὶ στεφ. II. 263. Orac. ap. Jul. Valer. R. Gest. Alex. I. 34 p. 44: Quare id putato tute commodissimum" concessum fuit.

Neque aliter judicandum est de versu 7:

Telluris juvenes, unde **periculum**
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris

in hanc speciem detorto p. LXXXIII: unde per aethera fulgens." Quanto facilius hoc persuadere videor eodem, quo a multis vocabulum nefas (Barth. Stat. Theb. III. 54 p. 686. Cort. Lucan. I. 626 p. 164), modo positum ab Horatio fuisse piaculum:

unde (**piaculum**)
Fulgens contremuit domus.

Cui ipsi vocabulo saepissime nocuisse id, quod jam librorum consensu in hoc loco inveteravit, declarant Plinius N. H. XXV. 8, 46: domus tuta a piaculis omnibus. Voss. periculis. Valerius Flaccus II. 563: post quanta piacula patrum. Burm. cod. pericula. Claudianus Eutrop. I. 431: peregrina piacula. Ox. Vat. Put. Maz. al. pericula et quos nominant Heinsius Ovid. Met. XV. 154 p. 1019. Burmannusque II. 565 p. 139 et Val. Flacc. II. 563 p. 219 et Arntzenius Arator. I. 188 p. 76 *).

---

*) Libet adjicere idem vocabulum apud Ammianum Marc. XVII. 4, 15: restabat erectio, quae vix aut ne vix quidem sperabatur posse compleri erectisque usque (id est absque Accurs. idestisque Flor. Rom. Vatic.) periculum altis trabibus — innectuntur vasti funes" imperite a librariis illatum esse pro mentione singularis cujusdam apparatus in hunc modum facta: compleri ergatis trispastisque. Per suculam elatis trabibus —." De qua re nihil suspicatus Hauptius haec sibi visus est probabiliter restituisse: digestisque ad perpendiculum altis trabibus"; assensumque is, qui nuper Ammiani opus recensuit, praebuit et hoc in loco et in aliis, de quibus longe alia praeceperamus nostra ad Bergkium de Ammiani locis controversis Epistola Critica (Nov. Strelit. 1868).

LIV.

Neque majore in discrimine ponenda sunt, quae idem Lehrsius p. XXXIX sq. de versu I. 7, 27:

Nil desperandum **Teucro duce et auspice Teucro;**
Certus enim promisit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram

disputavit sic corrigendo: nil desperandum divo (magno, fido) duce et auspice Phoebo." Nonne enim non supervacaneum modo, sed inutile est his: divo duce" legentium animum quasi constitui atque apparari ad percipiendam vim vocum auspice Phoebo? aut ipsis his vocibus subnecti ejusdem dei mentionem hoc modo: auspice Phoebo; Certus enim promisit Apollo?" Accedit, quod ne illud quidem vere Lehrsius affirmavit minime rationis esse verbis: Teucro duce et auspice Teucro" continuari haec: certus enim promisit Apollo;" quid enim hoc sententiarum ordine dilucidius: omnia sperari a nobis possunt propter certissimum Apollinis responsum?" Aliquantum igitur praestitit manere in librorum auctoritate mentemque Horatii his explanare: Teucer, quum patri eidemque regi, sub cujus auspiciis militasset, improbatus esset, tamen uda Lyaeo tempora vinxit ea fronde, quae propria est Herculis vagi, jamjam non solum suo ductu, sed suis etiam auspiciis sibi sociisque tristibus securam sedem ac novam patriam quaesiturus." Cujus sententiae auctor suasorque primus, id quod et alii ignorant et Orellius p. 37, extitit Ouwensius Noctt. Hag. III. 6 p. 395 sq. cf. Valg. p. 371, sed neglecto loco ejus, quae Porcii Latronis esse fertur, declamationis contra Catil. XVI p. 1093: Aquilam argenteam proferri continuo jussisti praeclaram auspicem ac gubernatricem furoris tui futuram." Quamquam ne hoc ipsum quidem exemplum ad stabiliendam Ouwensii sententiam (a qua proxime abest Cerda Virg. Aen. IV. 45 p. 380 D) plus valet, quam Claudiani exemplum, quod allatum est a Burmanno Ovid. Fast. I. 26 p. 5, IV. C. Hon. 611: Auspice mox laetam sonuit clamore tribunal" aut etiam (cf. Cort. Lucan. II. 371 p. 251) Symmachi Or. pro Patre 9 p. 47: ju-

dicia, quae connubia satellitum suorum sacrarent auspice pugione."

Quod quum ita sit, quum illud Bentlejus nequaquam edisseruerit, quo tandem pacto fieri potuerit, ut Phoebo, quem proprie et usitate dici auspicem constaret, tot consentientium librariorum turba successorem daret Teucrum, quem auspicem dici latina consuetudo non pateretur (cf. Claudian. B. Gild. 500: Illius auspiciis immensa per aequora miles — regor." Cort. Lucan. II. 464 p. 267), pro certo affirmare ausim duo illa, quae ex aliquot codicibus enotata sunt: auspice Phoebo et auspice Teucri (quorum illud arripuerunt Bentlejus et Meinekius Hauptiusque, hoc Peerlkampius), ad eos referenda esse auctores, qui quod invenissent difficile ad enodandum ac vitiose scriptum, id quoquo modo corrigendi impetum cepissent. Quos unde primum ad hoc: auspice Teucro, deinde ad Teucri deflexisse sensimque ad id, quod omnium et novissimum est et levissimum: Phoebo aberrasse dicam, probabiliter proferre videor hoc: at auspite turis (cf. Claudian. L. Ser. 186 curam. Moret. ap. Heins. p, 920 tenerum cf. Heins. Adv. II. 19 p. 362 et Nott. Catull. p. 648). Quo posito et concesso vel ea re ductus, quod nihil umquam permutatione vocum auspicii et hospitii accidisse frequentius et iis locis intellectum est, quos disceptarunt Heinsius Adv. III. 10 p. 473 et, quem laudarunt Burmannus Lucan. IV. 131 p. 617 et Oudendorpius Apul. Met. V. p. 357, Drakenborchius Liv. XXI. 2, 5, et aliis multis, ut Ovid. Pont. III. 1, 160 et Nonii Marcelli, quos expromere non vacat, equidem non dubito librorum memorias revocare ad hunc statum:

Nil desperandum Teucro duce **ad hospita ituris.**

Hoc enim Teucer non sperat modo, sed Apollinis responso fretus confidit post errores quantoslibet perventum iri in terram hospitam (Virg. Aen. III. 539). Hospita autem sic dixit Horatius, ut Silius VI. 308: durus facilem per inhospita ducere vitam." IV. 753: ducis nudus tanta inter inhospita vertex Saevitia quatitur coeli" (quem omisit Barthius Stat. Theb. IV. 842 p. 1295).

LV.

Sed quoniam ne Meinekii quidem monito p. VI cohibitam video Lehrsii p. XL sqq. libidinem, non absurdum est indicare atque adeo inculcare, quae Valg. Excurs. p. 362—383 deliberavimus et minutiore, ut fortasse nonnullis visum est, cura comprobavimus. De universo igitur hoc carmine sic expedivimus p. 368 sq.: Minucium Plancum Augusto illum parum probatum acceptumque poenituit jam operam praebere Caesari et militaribus ac civilibus perfungi muneribus. Quem levaturus moestitia Horatius: Laudabunt, inquit, secessum quaerenti ac circumspicienti multi Rhodum aut Mytilenen, geminas illas exulantium eruditorum sedes. Alii, qui delectantur maritimarum civitatium incolis frequentissimarum magna pulchritudine atque ea amoenitate, quae multas voluptatum vel sumptuosas vel desidiosas habet illecebras, laudabunt Ephesum aut Corinthi bimaris moenia. Quorum autem animus fert, ut praeoptent loca sacris deorumque festis augustissima eademque situs forma ac salubritate celeberrima, laudibus efferunt commendantque Thebas Baccho et Delphos Apolline insignes vel Thessala Tempe. Nonnulli perpetua circumferunt praedicatione Athenarum nomen dictitantque unas arces intactae Tritonidis omnibus illis laudibus esse cumulatissimas. Quidam, quorum animus regiarum urbium fama atque opulentia capitur, peti jubent Argos equis aptum et dites Mycenas. Mihi vero, inquit Horatius, Tibur placet aquarum salubritate nemorumque ac pomariorum, quae perennibus rivis nutriuntur, amoenitate mire commendabile. Haec igitur elige loca, ubi altius est otium et pinguius eoque securius; in hoc secessu vitam duc Caesarem jam non cogitans et tua sponte compone curas atque ipse molli mero, quod coronatum Tibur habet, tristitiam vitaeque labores fini. Quomodo olim Teucer quum patri improbatus esset, tamen animum curis publicis fatigatum vino laxavit sibi sociisque tristibus securam sedem quaesiturus.

Ergo tantum abest ut tot Graecas urbes memorans illud dicat Horatius Rhodum et Ephesum et Delphos Athenasque et Mycenas poetarum multorum cum olim tum Munatii Planci

aetate fuisse exercitationem et ludum (quae Mitscherlichii sententia est et Huschkii Peerlkampiique ac Lehrsii), ut illuc spectet, quod ea ipsa, quae recensentur, loca tum Romani suo quisque arbitrio eligere consueverunt. Magna enim Romanorum turba illa aetate in Graecia atque Asia, ubi animi causa ad tempus morarentur sive publici status taedio emissi sive cupidine capti mirandi veteris opulentiae ac gloriae vestigia sive alia sequuti consilia, quae nos p. 371 sq. enarravimus, nuper, ut audio, Friedlaenderus.

Haec igitur singula subtiliore quaestione olim explicavi. Quibus quum nolim uberiorum quorundam incrementorum accessionem adjungere, primum tamen non praeteream ab Orellio p. 52 non satis perspicue et definite relata esse ea, quibus versu 10 hoc Horatium profiteri obtinuimus p. 381 sq.: locum victumque sibi placere inter Spartam patientissimam et Larisam delicatam quasi medium. Deinde de versibus 5 sq.:

Sunt, quibus unum opus est intactae Palladis arces
Carmine perpetuo celebrare et
Undique decerptam fronti praeponere **olivam**,

quibus mirificam sedulitatem hominum omni et modo et tempore Athenarum laudes memorantium atque adeo decantantium comprobavimus p. 362—368 ita scriptam esse, ut oratio ad illum morem spectaret, quo poetae solerent carmen exorsuri lauream, sive alia corona propior esset argumento carminis, sumere et fronti praeponere, non omitto Valerii Maximi locum III. 2, 22: verbosa laudum suarum cantu Graecia" parem et similem iis, quos p. 367 in medio proposui. Nihil jam dicamus de eorum sententia, quos sequutus est Lehrsius; sed quibus absolvisse p. 372—381 visi sumus de Junonis v. 8 mentione, ea retractari necesse est atque expoliri.

LVI.

Namque quem locum in desperatis comploratisque habere docti homines coeperunt (v. 8):

Plurimus in Junonis **honorem**
Aptum dicit equis Argos ditesque Mycenas,

eum stabilire posse visi sumus comparatione Lucani III. 707: multus sua vulnera puppi Affixit moriens" (quem locum a Bernhardyo erutum sublato Bernhardyi nomine Breitenbachius attulit immerito jam laudatus ab Hoeggio Comment. de aliquot Horatii carminibus 1862. Progr. Arnsberg. p. XX) et Graecorum scriptorum iis exemplis, quibus p. 377 compositis addere licet Nonni versum VI. 280: *πολὺς δέ τις ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ Πλώετο κυματόεντι νέκυς πεφορημένος ὁλκῷ* a Lubino sic redditum p. 195: plurimus vero alius super alium natabat, fluctuoso mortuus latus tractu." Sed ut certissimum sit, quod sic quoque dubium est: manere in ea sententia non licet vel propterea, quod ipsa res declarat paucorum hominum fuisse eam turbam, quae magno Junonis honore duceretur. Itaque reliquis omissis hoc tenenti defendentique: ab Horatio habita ratione et famae, qua tum equus Sejanus celebraretur, et eorum, quos pulverem Olympicum curriculo colligere juvaret, memoratum esse id nobilium hominum genus, quod miro cum studio coleret loca sacra Junoni equestri eidemque regalis potestatis auctori, acriore cura exploranda est librorum illa memoria: plurimus in Junonis honorem." Quam qui nuper in hanc sententiam explicavit: qui in Junonis honorem maxime intentus est, Argos laudat", suo more optavit, non docuit; qui autem hoc modo immutarunt: plurimus in Junonis honore", Cuninghamus et Oudendorpius ne eorum quidem locorum, de quibus supra XV p. 31 diximus, mentione facta levius quaesivisse vitio velamentum videntur, sive rem divinam vis intelligi (ut Sil. VIII. 43: inter Latios Annae stet numen honores. VII. 184: Vestae decerpsit honorem. Barth. Stat. Theb. IV. 841 p. 1295. Drak. Sil. VII. 90 p. 343 cf. Valg. p. 378 sq.) sive reverentiam (Stat. Theb. XII. 299: si quis Est Junonis honos. Val. Flacc. IV. 76: magno Phoebi commotus honore. Itin. Alex. 42 p. 26: pauci in Herculis templo reperti honore numinis sospitantur. Jul. Valer. Gest. Alex. I. 69 p. 84: condi Thebas esse permissum in honore trium deorum." Valg. p. 380 sqq.). Quare eo inclinat judicium, ut librarios existimem assuefactos usu vocum in honorem, in honore (Valg. p. 379 sq.), qui nimius eruisset, ultro ipsa illa pravitate (quam etiam Silius expertus

est IV. 106: notasque ab honore Diones. Junt. in honore) detorsisse ea; quae sic invenissent minus usitate dicta et ad intelligendum difficilia:

Plurimus hic Junonis honorum.

In quibus insunt quaedam notabilia et gignendo errori opportuna. Ac primum quidem hominem honorum plurimum apparet (cf. Plin. Ep. X. 25) non minus recte dici quam a Silio XVI. 363: Insignis multa cervice et plurimus idem Ludentis per colla jubae" ab eodemque nimium vitae et ab aliis, quos novit Heinsius XIV. 670 p. 738 sq. et VI. 81 p. 294 cf. Tac. Ann. XIV. 3 p. 70, virum nimium potestatis, imperii, pugnae. — Tum „Junonis honorum plurimum" intelligi miratorem earum rerum, quae regia et equestris Juno dat, perspicuum facit Valerius Flaccus IV. 532: ad oblitae Cereris suspirat honores: Agnoscit Bacchi latices" cf. Burm. Grat Cyn. 376 p. 241 (alii vocant Cereris munera, dona Ciof. Ovid. Met. X. 74 p. 691. Cort. Lucan. III. 206 p. 341 cf. Hor. Carm. IV. 15, 26 Bacchi munera. Macedon. Anth. Pal. XI. 59, 3 δῶρα Λυαίου. Dorvill. Crit. Vann. p. 644. Veneris praemia Schrad. Mus. 290 p. 94 sq. Bergk. Anacr. p. 48 et IX), quamquam non deerunt, qui haec ad ludos et certamina (Barth. Stat. Theb. VI. 6 p. 343 cf. Virg. Aen. XII. 840. 778) atque Argolicum clypeum, quo nullum fuit praemium celebratius (Spanh. Callim. Pall. 35 p. 571. Drak. Sil. IX. 199 p. 460), referre malint. — Deinde illa Junonis honorum reprehensione carere docet ipse Horatius I. 17, 16: copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu." Silius II. 150: Alcidae templi custos. I. 3: laborum Hesperiae. Valerius Flaccus III. 380: socius superi quondam ignis Olympi. Statius Theb. IV. 792: nemorisque malorum inscius. Virgilius Aen. IX. 474: matrisque allabitur aures Euryali. X. 336: clypei transverberat aera Maeonis. Ausonius Clar. Urb. IX. 2: Athenas Pallados et Consi quondam certaminis arcem" et quos plures in Cinnae commentariis (Propempt. fr. III) afferendi copia erit. — Denique de mutato dicendi genere: alii — sunt qui — hic satis est adjecisse Lucanum X. 128: Discolor hos sanguis, alios distinxerat aetas" ac Valerium Flacc. VI. 577 sq. Nuc,

Eleg. 103 et illum versum: Aestibus hic, alius spoliatam frigore credit." Burm. Nuc. l. d. p. 837. Cort. Lucan. III. 672 p. 415. Duk. Flor. IV. 11, 10 p. 750. Oud. Apul. Met. XI. p. 763. — Postremo de vocis in mutatione comparare commodum est Lucan. VIII. 444: Syrtibus hinc Libycis. Thuan. Rottend. Lips. Snec. Caes. in Libycis.

LVII.

Hinc licet digredi ad versum IV. 11, 5:

est hederae vis
Multa, qua crines religata fulges,

qui quum amplam disceptandi materiam praebeat, nondum idonea cujusquam cura exploratus est. Ac primum quidem, ut singula percenseamus, Porphyrionis illa interpretatio: qua fulges pro fulgere soles. Non enim jam coronatam esse dicit, sed invitat eam, ut coronetur", quam omnino probasse videntur Peerlkampius et Meinekius Hauptiusque hic quidem subtilitate et intentione Mitscherlichii p. 424 inferiores, quanti est? si quidem vitanda imprimis ea ambiguitas, quae incertum intellectum facit: nam puella hedera fulgens ea verius dicitur, quae jam gerit hederaceam coronam, quam quae saepe solet caput hedera coronare. Deinde quid absurdius, quam multam hederae copiam puellae jactare non hercle id sequuturae, quod Plutarchus fortissimas illas Thebanas mulierculas scribit sequutas esse δασεῖς στεφάνους περικειμένας κατασκιαζούσας τὰ πρόςωπα Pelop. 11? Sed ecce alius jam exsistit, qui eum latine loqui affirmet, qui magnam copiam hederae dicat, non item illum, qui multam copiam, idemque hac facta verborum descriptione: est hederae vis, Multa qua crines religata fulges" contendit puellam, quae multa fulgeat, intelligi eam, quae multum id est praeclare splendeat. Scilicet accuratissimae vir doctrinae quae indistincte ac promiscue annotaverunt Marklandus Eur. Iph. T. 362 p. 127 et ii, quos nominavit Blomfieldus Gloss. Aesch. Sept. 5 p. 100 et Callim. Dian. 27 p. 98, Huschkiusque Tib. I. 7, 53 p. 207 sq., non modo solertissime rimatus, sed plenius inquirendo exsequutus et Toupium, credo, de Arimaspiorum

versu: πολλὰ θεοῖσι φίλας ἀνὰ χεῖρας ἔχοντες Εὔχονται secum ipsum pugnare in Longin. III. 5 p. 246 et X. 4 p. 295 animadverterat et quam de Ennio Ann. I. 50 p. 10: multa manus ad coeli caerula templa Tendebam lacrumans" cum Davisio habet Burmannus Grat. Cyn. 493 p. 299, controversiam ut certissimo ita tacito judicio sustulerat et, ut semel finiam, egregie norat nihil Horatii istis verbis: multa fulges" distare aut Nonnum XVII. 211: Καὶ πολὺς εἰς χθόνα πῖπτεν cf. Valg. p. 376 aut Callimachum Dian. 137: μέλοι δέ μοι αἰὲν ἀοιδή, Τῇ ἐνὶ μὲν Λητοῦς γάμος ἔσσεται, ἐν δὲ σὺ πολλή, Ἐν δὲ καὶ Ἀπόλλων Ovidiumque Am. I. 15, 38: a sollicito multus amante legar." Valg. l. d. In tanta igitur rerum difficultate quid jam Lehrsius? Nimirum vir sagacissimus quum omnium maxime egregie ipso animi sensu percipiat, quid Horatium deceat, quid non deceat, tenui litterarum significatione p. CXXXII versus et 9—12 et 29—36 jubet proscribi ut inepte insulseque factos, ipsos illos 4 et 5 de sententia Bentleji Peerlkampiique scriptos omnino dignos Horatio habet. Vides in quam impeditam rem quam acrem docti homines intenderint considerationem. Quare nobis ipsis justiore cura negotium illud prosequendum est. Videmur autem hoc pro comperto afferre eandem hunc versum traxisse labem, qua affectos aliquot locos supra (v. I p. 2) expolivimus. Nam si multam hederam pullae (de cujus usu disseruerunt Bodaeus Theophrast. Hist. Pl. IV. p. 276 sq. Paschalius Coron. I. 17 p. 55. Bentlejus Hor. Epist. I. 19, 10. Schoenius de Eur. Bacch. p. 102) concedere jusseris:

est hederae vis
Palla, qua crines religata fulges,

et loquendi genus restitutum agnosces, quod omnium scriptorum (ut Euripidis Tro. 1107 ἁλμυρὸν βάθος πόντου et Ciceronis Nat. D. II. 39: fontium gelidas perennitates." atque ipsius Horatii III. 29, 21: iratos regum apices. Axt. Spurinn. p. 44 sq. Valg. p. 54. 237 sq.) frequens ad fallendos tamen librarios instructum fuisse pateat, et eam sententiam consequutus videberis, quae ad statum verbi fulges firmandum satis valeat. Quid enim instituto aptius ab Horatio proferri potuit, quam hoc: fulgere (cf. Claudian. Fesc. 87: solitas galea fulgere comas — molli necte corona") puellam,

si nigra coronetur hedera sive, ut Senecae verbis utar iis, quae Peerlkampium fugerunt, "mollem frontem pulla hedera religet (Oedip. 415 cf. Avien. D. O. 1130)? Namque et Ovidii habetur hoc praeceptum A. A. III. 189: Pulla decent niveas" et apud Statium legimus Silv. II. 7, 10: Crinem comite candidamque vestem Perfundant hederae recentiores." Theb. II. 664: nitentem — frontem purpurei cinxere corymbi", apud Propertium III. 15, 29: Candida laxatis onerato colla corymbis Cingat — mitra comas", apud Ovidium Am. II. 4, 41: pendent nivea pulli cervice capilli." Sed attinet pauca adjicere, quibus id, quod restituimus, exiguo conatu erutum esse plane intelligatur. Librarios enim et vocabulo pullus multifariam fuisse infensiores et ad permiscenda tum pullus et villus, tum nullus (quod cum villo parum differt) et multus procliviores documento sunt Ovidius Am. II. 4, 4: pulli. Moret. mori. Maff. nigri. Met. IV. 16 pullos foetus. Leid. Bern. al. nigros. XI. 48 pullo. Pal. villo. Calp. Ecl. VII. 81: Pullaque paupertas. Voss. nudaque. Lucan. III. 571: multique peremti. Hamb. Lang. S. Germ. nulli. Burm. p. 211 *). Cic. Tusc. III. 19, 46 ulla. Gud. Reg. multa.

---

*) Hinc proficitur ad Ciceronis locum Tusc. V. 23, 65: immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt" sic emendandum: immissi cum falcibus nonnulli (v. Seyff. I. 10, 19 p. 9. Plin. N. H. II. 63, 63: jam nullis. Snak. nonnullis). Qui autem in capite 35, 102: signis, credo, tabulis, ludis" haec machinati sunt: tabulis studes, stupes, indiges, ii jam mallem discrepantia librorum, quam in Horatii carmine I. 2, 37 enotavit Bothius p. 7: ludo: dolo, freti hoc antiquitus scriptum fuisse pugnarent: signis, credo, et tabulis, doles, si quis est qui his dolectetur" (ut apud Horatium est: aliena laude dolentes"): equidem non dubito quin insigni librariorum flagitio obrutum hic lateat, quod par fuit signis et tabulis a Cicerone adjici: lithostrotis (Salm. Spartian. Pescenn. 6 p. 659 et Exerc. Plin. p. 854. a. E. et quos nominant Barthius Stat. Silv. I. 3, 52 p. 103 et Trillerus Lucan. X. 114 p. 496. Gloss. Labb.: λιθόστρωτα delapidata"). Nec minora detrimenta illata ab iisdem videntur 16, 48: vir igitur temperatus, constans, sine metu, sine aegritudine, sine alacritate ulla, sine libidine", quem locum hoc supplemento censeo explendum: sine alacritatis labecula (ut p. Dom. 38: labem inconstantiae sustine") et 22, 63: musicorum vero perstudiosum, poetam etiam tragicum", quae sic olim scripta: perstudiosum scim' tantum abfuit ut illi stilo sic

LVIII.

Referre piget, quae de versibus III. 1, 1:

Odi profanum vulgus et arceo:
Favete linguis; carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto

non cogitando, sed opinando sibi finxerit Lehrsius p. XCIV: satis est nobis et hunc et alios doctos admonuisse de Ausonio poematiorum, quae in Bissulam luserat, hac praefatione uso p. 338: Pervincis tandem et operta Musarum mearum, quae initiorum velabat obscuritas, quamquam non profanus irrumpis, Paule carissime. Quamvis enim te non ejus vulgi existi-

---

persequerentur: perstudiosum scimus", ut novum subrogarent verbum: perstudiosum accepimus", et 27, 78: quae est victrix, ea laeta — in rogum imponitur, illa victa moesta discedit", quae hoc modo: imponitur, turba victa discedit" redintegravimus in Varii de Morte Eclog. fr. IV. 4 p. 22 cf. Stat. Ach. I. 483. Nolo jam ad alios Ciceronis libros abire, velut ad orationem pro Sull. 19, 54: posset alia familia Fausti munus praebere" sic, ut alias dicetur, emaculandam: posset Poetellia familia" (ut est in marmore ap. Dempst. Paralip. V. 24 p. 779. B: P. Poetellius P. L. Syrus Lanista"): nunc libet adjicere earundem Tusc. Disputationum locum V. 25, 72: quid eo possit esse praestantius, quum contineri prudentia utilitatem civium cernat, justitia nihil in suam domum inde derivet" sic corrigendum videri: quum continere prudentia utilitatem curet (certet cf. Ovid. Fast. IV. 94: Perque suos initus continet omne genus." Rutil. I. 57. Emendd. Arnob. sive Anal. Prop. cap. XI p. 72)", quae autem leguntur 27, 76: sint sane illa genera bonorum, dum corporis et externa jaceant humi — alia autem illa divina — coelum attingant, [ut] ea qui adeptus sit, cur eum beatum et non beatissimum etiam dixerim", hac demum arte perspicua fieri: „— attingant: ut ea quis adeptus sit, cur eum — non beatissimum etiam dixerim?"; quae autem insiticia judicarunt plurimi I. 42, 101: quid ille dux Leonidas dixit: Prandete animo forti —", satis defendi Hegesippi testimonio V. 27 a Cicerone haec mutuati: „cum Leonidas ille Lacedaemone genitus praeliaturus adversus innumerabilem Persarum exercitum dixerit: prandeamus in terris apud inferos coenaturi. — Quid de Romanorum integris legionibus loquar? quos Cato Romanae assertor facundiae et veritatis sincerus interpres asseruit cum exultatione ad bellum processisse, de quo redituros non arbitrarentur universosque libenter procubuisse, ne mutarent sententiam."

mem, quod Horatius arcet ingressu, tamen sua cuique sacra" et Petronio 118: sumendae voces a plebe submotae, ut fiat Odi profanum vulgus et arceo." Neque intempestivum ad eos praeverti versus, quos qui Horatio indignos esse non concessit Peerlkampio Meinekioque Lehrsius ipse macula affecit, quam supra XL p. 73 indicavimus. Nec Seyffertus quidem iis intendit aut obviam ivit, quae gravissime Peerlkampius vituperavit his: „Quid hic dominus? An et ille una cum famulis et redemptore manum operi admovet? Respondent interpretes: dominus adest et spectat. Sed hoc ex verbis non conficitur. Dominus in mari aedificat pro aedificare jubet latinum est. Caementa demittit jam minus probandum. Quia in tali re universam aliquam notionem ponimus, non specialem. Sed caementa demittit cum famulis non tantum est domini jubentis, sed etiam adjuvantis. Deinde Timor et Minae eodem, quo dominus, scandere dicuntur: hoc est scandunt in aedificium illud in mari constructum. Sed hujus aedificii modo vidimus fundamenta. Igitur fundamenta scandit dominus." Quae duo crimina omnino diluisse censebitur, qui hunc sententiarum ordinem effecerit: Contracta pisces aequora sentiunt Jactis in altum molibus. Huc enim redemptor frequens caementa demittit, huc cum famulis (III. 17, 16), ut in aedificium tam amplum, ut totam familiam recipiat, ex terra concedit sive transit (Oud. Frontin. IV. 1, 31 p. 427) dominus non jam contentus solo:

huc frequens
Caementa demittit redemptor,
Cum famulis dominusque **transit**
Fastidiosus.

De vitii autem, quod detexisse videor, origine sic statuo: voce terrae, quae interpretandi causa adscripta esset voci fastidiosus, loco motum esse verbum transit idque accidisse eo facilius, quod utrumque parvo litterarum discrimine dirimeretur: saepius enim trans et terras commutata inter se esse docuit Drakenborchius Liv. VI. 28, 8. cf. Burm. Anth. I. p. 222.

LIX.

Ab aliis laudetur Ritschelius de carmine II. 1 Mus. Rhen. 1856 p. 628 sqq. commentatus et qui omni verborum honore ejus acumen et sales prosequitur, Lehrsius p. LXXII sq.: nos faciamus, quod et per se modestius ac reverentius est et huic tempori maxime congruit, proferamusque in medium nonnulla, quae injiciant scrupulum et quandam dubitationem, acutiusne an audacius eruditissimi viri censuerint tot, quot videmus, versus (9—12. 25—28. 33—36), excerpendos ac rhetori, quem animo informavit maxime Lehrsius, transcribendos.

Et primum quidem illa v. 33 sq.:

> Qui gurges aut quae flumina lugubris
> Ignara belli? quod mare Dauniae
> Non decoloravere caedes?
> Quae caret ora cruore nostro?

explorate cognoscenda potius, quam ea acerbitate, quam admiratur Lehrsius, cavillanda videntur esse. Seneca enim luxuriam per omnes locorum opportunitates diffundi his questus Epist. 89: Quousque nullus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia immineant? nullum flumen, cujus non ripas aedificia vestra praetexant? ubicunque scatebunt aquarum calentium venae, ibi nova diversoria luxuriae excitabuntur? Ubicunque in aliquem sinum littus curvabitur, vos protinus fundamenta jacietis — omnibus licet locis tecta vestra splendeant alicubi imposita montibus — alicubi in plano" nonne similis est Horatio Romanorum clades per terrarum orbem factas sic complexo, ut et campos Latino sanguine (v. 29. Sil. VI. 603. I. 50: Dum Cannas tumulum Hesperiae campumque cruore Ausonio mersum sublimis Japyga cernam") pingues (Mitsch. p. 363. Sil. III. 261: uberior Rutulo nunc sanguine Thapsus." Coripp. Jo. III. 295: pinguescunt sanguine campi") commemoraret et oras ac gurgites fluminaque et maria decolorata? Quod ipsum vocabulum invenitur usurpatum a Sidonio Apollinare Epist. I. 5: ac si (Metaurus) etiam nunc Dalmatico salo cadavera sanguinolenta decoloratis gurgitibus inferret" cf.

Stat. Theb. XII. 410: Ismenus — sanguine decolor ibat" et, quem Cortius Lucan. VII. 851 p. 271 et Mitscherlichius p. 364 omiserunt, Ammian. Marc. XVI. 12, 57: spumans — cruore barbarico decolor alveus insueta stupebat augmenta" (cf. Sarbiev. I. 6 p. 11: enses, quos male barbara Non decoloravere terga"). De gurgite autem, quem Acron pro mari dictum narrat, rectius senseris, sive ipsum Nilum (Sil. I. 197. Trill. Lucan. X. 254 p. 507) volueris intelligi sive paludem (Avien. Arat. Phaen. 380. Nemesian. Cyn. 316. Rutil. I. 380), qualem Maeotiam novimus vel Ambraciam (Oberlin. Vib. Seq. p. 274) vel Padusam (Valg. p. 251).

Deinde de versu 5:

arma

Nondum expiatis **uncta** cruoribus

vehementer Bentlejo et Ritschelio assensus Lehrsius ea neglexit, quae prudenter et caute praeceperat, qui indigno silentio a Peerlkampio quoque praetermissus est, Schraderus Obss. l. 5 p. 65: Contra virum magnum faciunt non modo codices omnes, sed etiam mos librariorum trita raris vix mutantium, Silius denique bonus inprimis Latinitatis auctor et hunc ipsum Flacci versum forsitan imitatus IX. 12: invadere bella Mancinus gaudens hostilique ungere primus Tela cruore cadit." Ac quoniam alii sagittas unctas veneno (Heins. Sil. l. d. p. 449. Cort. Lucan. III. 266 p. 353. Dorv. Charit. p. 624 sq.), alii infecta veneno pocula Justin. XXI. 4, 3. Alecto infectam venenis Virg. Aen. VII. 341. Ruhnk. Ovid. Her. IX. 142 p. 62 dixerunt, recordanti jam Statii Theb. II. 68 verba: infectos etiamnum sanguine currus" dubitandum videtur esse, an eo verbo, quod ante Schraderum retinuerunt Abreschius Aeschyl. I. p. 52 et Cortius l. d., uti Horatius idcirco maluerit, ut non inquinata solum arma fuisse intelligeretur, sed infecta: sic enim Seneca Epist. 59: elui vitia difficile est: non enim inquinati sumus, sed infecti" et alio loco, quem indicavit Cortius Lucan. VII. 851 p. 271: cum quidam ejus civili sanguine non inquinatas solum manus, sed infectas ait."

LX.

Nec minus leviter idem Lehrsius versatus est in ejusdem carminis versu 21:

Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis,

quem versum a Ritschelio vere in hunc modum correctum esse ait p. LXXV et p. 43: Sudare magnos jam video duces." Scilicet hoc defuit, ut et Ritschelio acceptum referretur, quod Ritschelius sumpserat a Peerlkampio, et artis criticae id praeceptum, quod Schraderum tenuisse modo vidimus, negligeretur et hoc elegantissime factum esse judicaretur, ut in hac sententia Horatius desineret: video sudantes magnos duces omnesque praeter Catonem subactos." Itaque isti per me licet eo fruantur, quod ipsi egregie hercle sudarunt: nobis ea, quae libris prodita parum recte ceperunt Acron et Porphyrion, tribus gradibus videntur dirimenda his: jam nunc murmure cornuum et lituorum perstringis aures (quod est commissi proelii signum); jam fulgor armorum fugaces terret equos equitumque vultus (quibus verbis indicari apparet inclinatam jam aciem Plut. Caes. 45. Polyaen. VIII. 23, 25. Meinek. p. XII); jam subactos esse duces magnos terrasque omnes pronuntias:

Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere sor**didos**
Et cuncta terrarum subacta.

Quid enim magis consentaneum fuit quam victori ita gloriam quaeri, ut duces hostiles et bellica laude dignissimi fuisse dicerentur et acerrime contra tetendisse? huc enim spectat illa pulveris non indecori mentio, quam et alii usurparunt, quos attulerunt Gevartius Stat. Silv. I. 1 p. 24. A et Arntzenius Plin. Pan. 13, 1 p. 69, et scriptor Itin. Alex. 28 p. 18: ipse ubi Tarson invehitur, sudore et pulvere miles decens labore et honore regali Cydnum amnem videt" et Eumenius pro Rest. Schol. 2, 4: hic sudore et quasi pulvere sordidus, illic insignis ornatu laudatur orator" cf.

Sarbiev. III. 24 p. 120: Talis superbis irruit hostibus Mortis decoro pulvere sordidus.“ Quominus autem magnos duces devictos potius, quam concionantes, ut visum est Acroni et Porphyrioni, aut „militia redeuntes“, ut vult Gevartius l. d. cf. Martial. VIII. 65, 3, dici perspiceretur, obfuisse maxime videtur insolentior usus verbi subactus, cujus testem habemus Florum II. 18, 5: Mancinum quoque assiduis caedibus ita subegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quisquam sustineret“ cf. Burm. Lucan. III. 91 p. 162. Calp. Ecl. I. 52: Tartareo subigentur carcere bella“; plerique enim fere sic loquuntur, ut Sallustius Cat. 10, 1: reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti —, cuncta maria terraeque patebant.“ Qui regibus magnis sic cunctas terras addidit, ut Horatius ducibus magnis cuncta terrarum, quo eodem modo Avienus Phaen. 690. 933. cf. 301 et Paulinus Nat. III. 16 dixerunt: omnia terrarum et coeli.“ De fulgore armorum autem praeter eos, quos nominavit Peerlkampius, habeo quos afferam Livium XXII. 28, 8: necubi fulgor armorum fraudem detegeret“ cf. Ammian. Marc. XXIX. 5, 15: fulgore signorum praestrictus“ et Tacitum Ann. I. 68. Huschk. Tib. I. 10, 37 p. 262; denique de verbis v. 10: publicas res ordinare, quae omnino improbarunt Peerlkampius et Ritschelius, quum recte distincteque iis designari non temere interpreteris eum, qui pacata civilia bella perscripserit, Vellejum II. 92, 2: aberat in ordinandis Asiae Orientisque rebus.“ 122, 2: ordinatisque rebus Orientis“ et quos testificatus est Bernhardyus, Oudendorpium Thom. Mag. p. 188 sq. et Ruhnkenium Praef. Lex. Scheller. p. XII.

LXI.

Mirabile moliri facinus ausus est Lehrsius versum I. 2, 52:

Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce, Caesar,

in hunc modum immutando p. XXXIV. p. 7: Neu sinas Medos equitare inultos Arva negata.“ Quem versum quanto deteriorem esse dicemus eorum quolibet, quos ad explicandum

ifficiles Lehrsius sibi persuasit a rhetore aliquo factos esse tque subditos? Nisi forte quem latet et perperam in vé-itos fines id transferri, quod est apud Virgilium Aen. III. 71: Dictaea negat tibi Jupiter arva", et interesse aliquid nter Horatium II. 9, 23: Intraque praescriptum Gelonos Exi-;uis equitare campis" Senecamque Oed. 114: Miles extre-nos eques usque ad Indos Ausus Eois equitare campis" it eos, qui equitata loca sic dixerunt, ut legimus ulu-ata Dindyma, bacchatum Cithaeronem, Claudian. B. Get. .94: equitataque summi Culmina Taygeti." Sidon. Apollin. XXIII. 248: Tu fluxis equitata Bactra Parthis Constans ntrepidusque sic adires" cf. Duk. Flor. III. 4, 5 p. 464. Sed prae-stat tanti incepti errorisque causae intendi. Namque certe iic vidit aliquid Lehrsius nullo pacto fieri potuisse arbitra-us, ut qui juvenem in terris ales imitari patiens vocari Caesaris ultor et crederetur et diceretur v. 41 sqq., is pse proprio et certo nomine in extremo carmine appellaretur Caesar. Unde nulla apud nos relinquitur dubitatio, quin vocabulum sinas a grammaticis formae notabili siris ad-scriptum, fortasse etiam nomen Caesar duobus illis: Te duce (cf. Calp. I. infra d.) adjectum, quum nec illud sinas ad nomen Scythas nec hoc (Caesar: saeras) ad ipsum siris (Heins. Nott. ad Catull. LXVII. 18 p. 649. Acc. ap. Cic. Tusc. I. 44, 106: neu reliquias semesas sieris — divexarier") non aliqua litterarum similitudine accederet, valuerit addito tempore ad pervertendum pristinum eorum versuum statum huncce:

Neu **Scythas** Medos**que** **equi**tare inultos
Te duce **siris**.

In quibus quod cernitur dicendi genus: sinas te duce (Burm. Prop. II. 13, 19 p. 328 cf. Peerlk. I. 21 p. 101), id a Peerl kampio I. 6 p. 37 Ovidii Ausoniique et Mamertini exemplis illustratum confirmare licet locis Senecae Vit. Beat. 20: quid-quid me conscio faciam" et Claudiani Eutr. II. praef. 9: se consule" ac Symmachi Laud. in Gratian. 8 p. 35: cum forte inter-pellaretur voce censoris, sub quo imperatore meruisset? me ipso, inquit, principe militavi" et Juvenci, Alcimi, Ara-toris, quos in medium attulit Wopkensius Sedul. IV. 8 p. 177 sq.

Sed magis hoc ipsa res hortatur, ut repetam et inculcem, quod supra XL (Valg. p. 396) indicavi: Horatii illum de Mercurio sive Augusto locum expressum esse a Calpurnio Ecl. IV. 137 (cf. Tit. et Barth. p. 649): Am. „Di, precor, hunc, juvenem, quem vos, nisi fallor, ab ipso Aethere misistis, post longa reducite vitae Tempora vel potius mortale resolvite pensum Et date perpetuo coelestia fila metallo: Sit deus et nolit pensare palatia coelo.“ Cor. „Tu quoque, mutata seu Jupiter ipse figura, Caesar, ades seu quis superum sub imagine falsa Mortalique lates: vivas atque hunc, precor, orbem, Hos, precor, aeternus populos rege: sit tibi coeli Vilis amor coeptamque, pater, ne desere terram.“ Res ea fugit ipsum Mitscherlichium p. 39 cf. Barth. Claudian. III. C. Hon. 105 p. 515 et 108 p. 517. Sil. III. 625: Tunc, o nate deum divosque dature, beatas Imperio terras patrio rege: tarda senectam Hospitia excipient coeli.“ Sarbiev. I. 10 p. 20. Chumn. Anecd. Boiss. II. p. 23 sq.: *εἰ λογοποιός τις τῶν πάλαι παρῆν ἐπὶ τούτοις ἐξ Ἑλληνικῶν ὡρμημένος δογμάτων θεῶν τινος ἔφησεν ἂν εἰς ἀνθρώπους τὴν σὴν ἐπιστασίαν γενέσθαι.*

Neque omittam versui 46: „laetus intersis“ similia dixisse Calpurnium Ecl. IV. 86: qui nostras praesenti numine terras Perpetuamque regit juvenili robore pacem, Laetus et Augusto felix arrideat ore“ et Statium Silv. I. 1, 107: nec te coeli juvet aula tuosque Laetus huic dono videas dare tura nepotes.“ Theb. IV. 382: Laetus eas. Martial. VI. 21, 2: Laeta Venus. Eur. Bacch. 135 ἡδύς. Peerlk. Carm. III. 18 p. 314; quod autem v. 42 legitur: mutata juvenem figura imitaris“, Senecam mutuatum esse in Oedip. 419: falsos imitatus artus“, quem praeteriit Gronovius Diatr. I. p. 75, et quod v. 36: Sive neglectum genus et nepotes Respicis auctor“, Corippum Jo. VII. 348: Respice jam tandem Romanos, respice, summe, Atque pius succurre, pater.“ Quo autem ludi genere satiari Mars recte dicatur, explicatum est in Sinide VII. 3 p. 147. Aliud ex alio succurrit: nam quae a Barthio Stat. Theb. II. 287 p. 440 allata est glossa: Idaliusque puer) Jocus aut Cupido“ haud dubie refert versum 34: Erycina ridens, Quam Jocus circumvolat et Cu-

pido", quem versum qui explicare studuit Boettigerus Amalth. II. p. 290, omisit Plauti Bacch. I. 2, 8 et Philostrati Im. I. 25 (Welck. I. 2 p. 215) locos, quos ante Orellium p. 18 ad coercendam Peerlkampii audaciam exprompserat Bernhardyus. Similiter autem recordatio versus I. 28, 14: non sordidus auctor" effecit, ut apud Lucanum VIII. 738: nec sordidus ustor" in libro S. Germ. hoc erraretur: sordidus auctor." Cf. Claudian. l. supra VI extr. d.

LXII.

Sed tempus est versus 39 quoque mentionem fieri:

Acer et Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.

Quoniam enim Lehrsium p. XXXIII nec Peerlkampii adversus Bentlejum disputatio movit (moverat autem Meinekium, non item Hauptium) neque hoc pronuntiare puduit: Oudendorpium aliosque rectae doctrinae studiosos facere pueriliter, inculcandum hoc est a nullo allatum esse, cur notissimum (scit ipse Bentlejus) Marsae cohortis robur librarii Mauri peditis mentioni posthabuisse viderentur. Quare et modestius et cautius fuit ei parti intendi, in quam primus quaesivit Gust. Schwabius Mus. Rhen. 1832 p. 474—487, neque hoc modo considerari, quam saepe Romana acies Mauros truces (Calp. Ecl. IV. 40) Gaetulosque et Numidas ac Massylos experta sit pedites hostes (Sall. Jug. 50, 3. 51, 3), sed hoc ipsum jam ex hoc carmine addisci, quos „insidiis potius clandestinis, quam proeliorum stabilitate confisos" praeter eos, quos Bentlejus auctores dedit, Ammianus Marc. XXIX. 5, 7 scribit, eos aliquando visos esse fere tales, quales Suevos fuisse memorat Guillermus Apul. II. 160: Suevi — firmo stant pede, postquam Deponuntur equis —. Magis hoc sunt Marte timendi, Quam dum sunt equites." Sed quid pluribus morer in parte opinabili? Succurrit enim res non solum rerum gestarum memoria contestata, verum etiam poetarum carminibus illustrata, quam affirmem hic significatam esse ab Horatio. Qui vix dubium videtur esse quin cruentum hostem dixerit Laevinum Privernatem, Maurum peditem Tyren

Sed magis hoc ipsa res hortatur, u –
quod supra XL (Valg. p. 396) indicavi:
curio sive Augusto locum expressum
IV. 137 (cf. Tit. et Barth. p. 649):
juvenem, quem vos, nisi fallor
post longa reducite vitae
resolvite pensum Et date perr
deus et nolit pensare pa
mutata seu Jupiter ipse
superum sub imagine
hunc, precor, orbem
rege: sit tibi coel
sere terram." R
Barth. Claudian ... ucpas
625: Tunc, ...satias, donec mande
terras patr ...nos rictus mors atra teneret.
coeli," ...racula virtus." Atque hoc quidem,
... non minus confido in confessum venturum esse,
... nuper Conject. Stat. X. p. 198 edocui a Statio
... 18: gemit inter bella peremptum Parthus equum"
... famam Artybii Persae. De vultu cf. Stat. VIII.
Ammian. XXXI. 13, 4. Cort. Sall. Cat. 61, 4 p. 392.

LXIII.

Supersunt in eodem carmine alia, quae Lehrsio ad exis mandum, quid dedeceat Horatium, praecipiti dubitanda fuis videantur. Veluti quae de Pyrrhae saeculo (sic eni vocat etiam Claudianus B. Gild. 43) leguntur v. 6—12:

> **Piscium** et summa genus haesit **ulmo,**
> Nota quae sedes fuerat columbis,
> Et **superjecto** pavidae natarunt
> **Aequore damae**

improbata cum multis tum Buttmanno et Meinekio Haupti que, aliquam habent similitudinem non modo Ovidii Met. 296, sed etiam, ut indicavimus Valg. p. 404, Ariosti Pa exundationem his in Rolando Fur. XL. 31. Vol. V. p. 44 Grie narrantis; „qua autem aves salire consueverunt, jam pisce per summas ulmos labentes videas" atque Himerii O XXVII p. 838 Maeandri dona his complexi: ἴδοις ἂν πεδί

Numidam (Valg. p. 106). De quibus auctores sunt Livius XXII. 51, 9: Praecipue convertit omnes substratus Numida mortuo superincubanti Romano vivus naso auribusque laceratis, quum manibus ad capiendum telum inutilibus in rabiem ira versus laniando dentibus hostem exspirasset" et Silius VI. 41: Juxta cernere erat meritae sibi poscere carmen Virtutis sacram rabiem. Laevinus ab alto Priverno, vitis Latiae praesignis honore, Exanimum Namasona Tyren super ipse jacebat Exanimis: non hasta viro, non ensis: in artis Abstulerat Fors arma: tamen certamine nudo Invenit Marti telum dolor. Ore cruento Pugnatum ferrique vicem dens praebuit irae. Jam lacerae nares foedataque lumina morsu, Jam truncum raptis caput auribus ipsaque diris Frons depasta modis et sanguine abundat hiatus: Nec satias, donec mandentia linqueret ora Spiritus et plenos rictus mors atra teneret. Talia — praebet tristis miracula virtus." Atque hoc quidem, quod attuli, non minus confido in confessum venturum esse, quam quod nuper Conject. Stat. X. p. 198 edocui a Statio Silv. II. 6, 18: gemit inter bella peremptum Parthus equum" celebrari famam Artybii Persae. De vultu cf. Stat. VIII. 757. Ammian. XXXI. 13, 4. Cort. Sall. Cat. 61, 4 p. 392.

LXIII.

Supersunt in eodem carmine alia, quae Lehrsio ad existimandum, quid dedeceat Horatium, praecipiti dubitanda fuisse videantur. Veluti quae de Pyrrhae saeculo (sic enim vocat etiam Claudianus B. Gild. 43) leguntur v. 6—12:

Piscium et summa genus haesit **ulmo**,
Nota quae sedes fuerat columbis,
Et **superjecto** pavidae natarunt
Aequore damae

improbata cum multis tum Buttmanno et Meinekio Hauptioque, aliquam habent similitudinem non modo Ovidii Met. I. 296, sed etiam, ut indicavimus Valg. p. 404, Ariosti Padi exundationem his in Rolando Fur. XL. 31. Vol. V. p. 44 Gries. narrantis; „qua autem aves salire consueverunt, jam pisces per summas ulmos labentes videas" atque Himerii Or. XXVII p. 838 Maeandri dona his complexi: ἴδοις ἂν πεδίον

μὲν τὴν πρόσθεν θάλασσαν, σκιρτῶντα δὲ ἀντὶ μὲν δελφίνων νεβρόν et Nonni VI. 257: Ὑψώθη δὲ θάλασσα καὶ εἰς ὄρος ὑψόθι λόχμης Νηρεΐδες γεγάασιν Ὀρειάδες — Καὶ ξυνοῖς ῥοθίοισιν ὀρεσσιχύτου νιφετοῖο Θῆρες ἐναντίλλοντο σὺν ἰχθύσιν cf. Rufin. Epigr. XIV. 5: Βοσκήσει δελφῖνας ὁ δενδροκόμης Ἐρύμανθος Καὶ πολιὸν πόντου κῦμα θοὰς ἐλάφους. Claudian. Prob. et Olybr. 169: Ante dabunt hiemes Nilum, per flumina damae Errabunt" (quem quidem locum Lehrsius p. XXIX hac corrigendi ratione: dabunt hiemes violam" graviter corrupit ille quidem novitiorum poetarum verius quam veterum morem aemulatus atque ut fortasse Calpurnii Ecl. VIII. 78 memor, ita nulla imbutus cognitione Licentii Carm. ad Augustin. 100: Ante dabunt imbres Nilum, super aequora damae Errabunt", de quo dictum est Valg. p. 484). Itaque primum satis apparuit, quibus rerum exemplis poetae deinceps usi sint tamquam translaticiis. Deinde vero illud nobis permirum accidit: quem auctorem versuum insiticiorum sibi homo doctissimus finxit, eum non hoc verborum genus probasse et adscivisse, quod et grammaticos veri expulsores sectatos esse constet et probe nosse ipsum eum videamus, qui Horatio pristinum decus restituisse sibi videtur haec in primo libro commentus: templaque casta 2, 16. luce — humeros amictus 31. arva negata 52. Venus levis 4, 5. manet nox 16. nos decet Euhium plectro ludere Teio 5, 19. divo duce 7, 27. utilius 11, 3. quaerere publica 19, 12. amoenum carmen 32, 3, sed voces in promptu habere minime obvias et illaboratas. Ex quo enim exemplo ductum dicemus esse illud superjectum aequor? Quod quum V. D. ap. Leutsch. Ind. Philol. II. 3 p. 150 nuper voluerit intelligi aequor ulmo superjectum (quo concesso quomodo jam senties de piscibus in ulmo ipsa fluctibus obruta haerentibus?), ipse fortasse paulo rectius interpretor dici mare, ut Sallustii verbis Hist. III. p. 966 utar, immensum auctum fretus exemplis Calpurnii Ecl. IV. 103: Adspicis, ut teneros subitus vigor excitet agnos Utque superfuso magis ubera lacte graventur?" et Ammiani Marc. XXII. 15, 7: Etesiarum continuis flatibus repellentibus ejus meatum velocitate cohibita superfusis fluctibus intumescit" (cui similia

haec posuit Sarbievius I. 1 p. 2: superfuso tumuere plenae Nectare ripae“) cf. Sall. Hist. II. p. 957: superjectis fluctibus circumlavit.“ Verum ipsa haec aequoris superjecti sive superfusi commemoratio (fatendum est enim) et praepostera est atque adeo supervacanea nec vim prae se fert dignitati ejus loci, quo exemplorum agmen cogitur, congruentem, nisi forte quis putet non superfuso aequore accidisse, ut et phocae montes viserent et pisces sub ulmis laterent. Itaque ne Horatius materiae impetum similiter atque Ovidius, quem reprehendit Seneca, minutiore singula nominandi cura fregisse videatur, acrius explorandum est, quam tandem monstrorum novitatem Pyrrha questa esse dicatur. Quam novitatem consentaneum fuit non definiri uno phocarum exemplo, quo acquieverunt Guietus et Peerlkampius et quos supra nominavi, sed sic commonstrari, ut montes narrarentur pro consueto litore facti fuisse phocarum et Protei statio; mare adeo auctum, ut et pisces in arborum, quae avium sedes fuerant, frondibus vel cursum jam remorantibus vel latebras praebentibus haesitarent et silvestres ferae natarent: consentaneum, inquam, fuit aut ea, quae dicerentur, per certos quosdam gradus fere hoc modo: Et superjecto timidae natarunt Pectore damae“ (Et super picto timidae natarunt Tergore damae“) deduci ad rem omnium maxime mirabilem, quam a Nonno his proditam invenimus VI. 265. 268: *χαραδραίῳ δ᾽ ἐνὶ κόλπῳ Εἰναλίῳ δελφῖνι συνήντετο κάπρος ἀλήτης — εἰλικόεις δὲ Πουλύπος οὐρεσίφοιτος ἐπεσκίρτησι λαγωῷ*, aut contempta illa rem ultra fidem augendi molestia, a qua non abhorruerunt Nonnus atque Ovidius Met. I. 304, notam illam comparationem piscium et cervorum (Virg. Ecl. I. 60. Rufin. l. d. Trill. Obss. Crit. III. 27 p. 276 sq.; imperitius enim quidam huc repetunt Libycum genus, quod oryges vocant Bochart. I. Hieroz. III. 26 p. 946) his reddi:

Et superpicto pavidae natarunt
Tergore damae.

Ut intelligatur id genus, quod nuper nobilis rei venaticae auctor a Danis, si placet, appellari voluit, quod genus Gessnerus p. 308 (ap. Bochart. l. d. p. 963, 25 cf. I. 9 p. 63, 1) his:

„damae platyceroti color dorso subflavus est cum linea nigra per dorsum — latera ejus aliquando maculis albis distinguuntur“ testis est recte dici superpictum, ut pantheras a Solino 17 p. 27. F: panther ae — minutis orbiculis superpictae, ita ut oculatis ex fulvo circulis vel caerula vel alba distinguatur tergi supellex“ cf. Ovid. Met. III. 669: pictarum — fera corpora pantherarum.“ Verborum autem et delectum et ordinem satis probant et Halieut. v. 64: Ut pavidi lepores et fulvo tergore damae“ (cf. Heins. Adv. II. 19 p. 371) et Valerius Flaccus I. 89: dabit auratis et cornibus igni Colla pater“ et Ovidius Met. III. 607: Virginea puerum ducit per litora forma“; in bestiis autem praevalere tergi mentionem documento sunt Silius IV. 563: agitet Gargano terga ferarum.“ X. 469: resupina citato Projectus dorso ferret cum membra“ (cf. V. 284: dumis subit — lepus ore citato“) et ii, quos nominavimus Anal. Prop. XI. p. 84. Denique de vitii origine commodum est et illum librariorum errorem afferre, de quo dicere ingressi sumus I, et hoc addere parum differre illud nataruntaecore (Valg. p. 484. b) et hoc: nataruntterecore cf. XLV p. 88. Quibus ita expositis si cui de Horatio nova monstra loquuto nos ipsi monstra narrare judicabimur, is sciat nos quidem nec pro veritate eruenda ullum laborem defugere et vel sic minus ad audendum projectos esse, quam ceteros omnes.

Denique qui ne de versu 7 quidem: pecus omne“ habuit quomodo expediret, Lehrsius p. XXX non animadvertit piscium genus v. 9 non minus genus omne natantium (Virg. Georg. III. 541) intelligi, quam priore loco universum Protei gregem, utramque autem mentionem pertinere ad designandam diluvii vim ingentem, qua non una ora, sed omne solum ac tota terrarum longitudo jam hausta videretur. Neque idem, cum hoc sibi persuadet p. XXX vehementissime inter se repugnare versus 2 sq.: Pater — terruit“ et illa, quae de fluvio uxorio (Virg. Aen. IV. 266. Claudian. Nupt. Hon. 59. Inc. Paneg. Max. et Const. 4, 1) jam se ultorem Iliae nimium querenti jactante (Wopk. Justin. XXIV. 5, 3 p. 221. Rupert. et Weber. Juvenal. I. 62) scripta sunt in hunc modum v. 19: Jove non probante“, non arguit se parum intendisse iis

locis, quos in medium attulimus Valg. p. 403 sq., quibus locis jam addere licet Ovidium Fast. III. 705: quicunque nefas ausi prohibente deorum Numine polluerant Pontificale caput." Prudent. Hamart. 711: Quod prohibente deo persuasit callidus anguis." Gron. Syll. Epist. II. p. 554. cf. Sil. II. 363. Nec de versibus v. 21 sqq., quos Hauptius quoque Horatio demi jussit, sic quaesitum est, ut idem, quod apud Senecam Octav. 981 legitur: civis gaudet Roma cruore", ab Horatio: cives acuisse ferrum" ea brevitate dictum esse demonstraretur, qua usum videmus Statium Theb. XI. 99: fratrum stringendi cominus enses" et I. 151: nuda potestas Armavit fratres: pugna est de paupere regno." Senecam Phoen. 340: Agite, o propago clara, — Ferte arma" cf. Manil. I. 912: Imperiumque suis conflixit viribus ipsum", alios, quos attulit qui ista L. Muelleri: cecidisse ferro" et Jeepii: rapuisse ferrum" commenta graviter jam confutavit, Duentzerus Annal. Nov. Philol. 1870 p. 854 sq. Eam autem brevitatem maxime probabilem faciunt ipsa, quae loco proxima sunt, verba: quo graves Persae melius perirent", de quibus supra XL p. 72 diximus. Quid jam referam Horatii carmen egregia cura sic expolitum, ut demptis versibus 17—24 haec continuarentur: ire dejectum monumenta regis Templaque casta. Quem vocet divum populus ruentis Imperi rebus? prece qua fatigent Virgines sanctae minus audientem Carmina Vestam?" Nimirum adeo consilium praecipitatum est, ut ne hoc quidem, quod Ovidii Fast. III. 698: a castis Vesta loquuta focis" liber Junianus praebet: Diva, succurrere!: Templaque Vestae — Virgines sanctae minus audientem Carmina Divam."

Postremo quod de versu 31 multa parum accurato studio argumentatus p. XXXII Lehrsius protulit commentum: luce candentis umeros amictus", confutare supervacaneum habeo praesertim nulla aut rei aut verborum probatione ab ipso commendatum. Nec jam de Barthii Claudian. R. Pros. I. 80 p. 882 sententia: „ipsos bonos deos candidis nubibus amictos introducebant. Horatius: Nube candenteis humeros amictus Augur Apollo" cf. Stat. Conject. XV. p. 222 aut ejus, quia uguris cognomine Sibyllinos libros significari voluit,

plura persequar: satis est hoc indicasse: ea, quae dicantur, gradatim assurgere ad rem et maxime mirabilem et auspicatissimam. Hoc enim precatur poeta, ut expiaturus deus jam tandem veniat sive nube amictus, qualem et Junonem in tempore adfuisse scribit Silius (quem Bentlejus omisit, I. 550: Advolat obscura circumdata nube per auras Et validam duris evellit ab ossibus hastam" cf. IX. 488. Hom. Il. XV. 308. XVII. 551. Virg. Aen. II. 651) et vero ipsum Apollinem „in bello Actiaco fautorem habuisse" Augustus visus est (Acron. cod. Paris. p. 10, 25. Porphyr. p. 13, 17. Wernsd. P. L. M. III, p. 503 sq. add. nostr. Emendd. Hor. LXXXIV extr.) sive, id quod longe praesentissimum habetur auxilium, mutata figura juvenis in terris diu moraturus, juvenis autem Mercurius pacis auctor, ut diximus Valg. p. 396.

LXIV.

Similis atque in iis locis, quos modo disceptavimus (I. 2, 7 sqq. 30 sqq.), ingenii impetus et materiae cernitur I. 12, 6:

gelidove in Haemo,
Unde vocalem temere insequutae
Orphea silvae,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere **quercus**.

Cujus loci sententiam sic definio complectorque: „Constat fabulaeque signum manet ex Haemo olim silvas velut fanatico instinctas cursu canentem Orpheum ad Zonen usque insequutas esse. Namque ille cantu a matre Musa accepto lyraque tam potens fuit, ut non solum, qui perpetuo motu ferrentur, fluvios ventosque compesceret et frangeret, verum etiam quercus, quibus nihil durius est aut immobilius, excitaret perfunderetque quodam sensu humanitatis." Quod ne mireris pluribus verbis poetam in eo commoratum, quod incredibilem quandam et prope singularem et divinam vim illius cantus fuisse diceret, congruens erat hoc Horatium in eo carmine excedere, quo priscum et veterem quasi Clio auspice (v. 2)

cantandi in epulis morem sibi collaudandum sumpsisset. Ex quo enim argumento hoc carmen aptum sit, pervidit acuta mens Bernhardyi Hist. Rom. Litt. p. 71 not. 118. ed. pr. Haec quidem adversus Peerlkampium hujus mutationis suasorem: ducere cautes" disputata ac singulatim collecta et investigata sic proposuimus Theb. Parad. Coroll. XXII p. 441—447 non indigna, quae stilo repeterentur, postquam quaedam Luebkerus parum perspicue et definite retulit Baumstarkiique intelligentiae Actt. Litt. Jenens. 1844 p. 1133 offecit. Quid jam dicam de Lehrsio, qui omni de carmine, quod ait esse longe difficillimum, subtilius quaerendi cura omissa et versus 5—12 a praestituti operis forma alienissimos judicavit p. XLVI et, ut alia incepta praeteream, dubitationem, quam Bernaysius injecerat, sic tollendam putavit l. d. et p. 18, ut ad hunc statum ipsum principium revocaretur: Quem virum aut heroa lyra vel acri Tibia sumam celebrare, Clio? — Quid prius dicam solitis parentis Laudibus?" Ceperat, credo, utrumque oblivio Martialis X. 19, 3: non rusticulum nimis libellum Facundo mea Plinio, Thalia, I perfer — Tunc me vel rigidi legant Catones" et aliorum, quos contulimus Quaest. de Tanusio Gemino IV. p. 34 et Stat. Conject. IV. p. 173 cum Timocreonte ap. Plut. Themist. 21 fr. 1 p. 807 Bergk.: ἐγὼ δ' Ἀριστείδαν ἐπαινέω — ἐπεὶ Θεμιστοκλῆ' ἔχθαρ' Ἐρατώ id est mea Erato (cf. Meinek. Vindic. Strab. p. 110), ut mea Calliope Columell. X. 225. mea Thalia Martial. l. d.: in eo loco enim Erato, in hoc Clio commemorari argumento carminis conveniens erat.

LXV.

De versu II. 20, 19:.

me peritus
Discet Iber Rhodanique potor

haec est doctorum hominum varietas et dissensio, ut alteri peritum intelligi velint aut eum, qui jam Horatii aetate excultus artibus fuerit (quae Graevii sententia est et Mitscherlichii atque, ut videtur, Meinekii, Hauptii, Lehrsii p. XCI cf. Bernhardy. Hist. Rom. Litt. p. 73 not. 53), aut eum, qui futurus sit legendorum carminum peritus (id quod statuunt

xtius et V. D. Actt. ad res gymn. pertin. 1841 p. 329), lteri vitio ea verba affecta esse censeant. Cui vitio has einceps medelas invenimus adhibitas: a Broukhousio perutus, a Burmanno petitus, a Peerlkampio peritus dicere, a Seyfferto nostro (cf. XXX) interposita Kruegeri Hor. Epist. I. 20, 13 p. 298 et Bernhardyi l. d. auctoritate: politus. Laudo consilium: verum acriter hoc teneo Iberos licuisse dici paratos sive promptiores ad discenda Horatii carmina (Cort. Lucan. VIII. 99 p. 288. Auson. Prof. III. 13; Quod laude clarús, quod paratus literis Omnem refugisti ambitum"), non licuisse peritos vel politos (jam viritim, credo, Quiritem lecturos), idemque illud pro percepto affero verba noscere et discere quamvis vicina (Stat. Theb. XII. 814 sq. Burm. Lucan. IX. 761 p. 665) eo tamen gradu dirimi, quo Colchi Dacique et Geloni distent ab ipsis Hispanis Gallisque. Itaque harum gentium honori vere consuluisse videbimur, si librarios prave detorsisse dixerimus, quae sic consignata invenissent:

me **per artes**
Discet Iber Rhodanique potor.

Quorum verborum vim atque usum explanarunt Burmanni, alter in Grat. Cyn. 151 p. 120, alter in Prop. III. 1, 43 p. 490 cf. Sil. XIV. 453. 659. Hor. Carm. IV. 9, 3, restitutionem praestat Gratii locus, quem modo diximus: per artes. Ms. partis. Ulit. peritus, et ii, in quibus voces paratus et peritus permutatas esse testatur Oudendorpius Suet. Claud. 42 p. 630.

LXVI.

Postquam in explanando versu II. 8, 14:

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphae ferus et Cupido

locti homines frustra laborarunt, nuper eo audaciae prolapsus est Lehrsius p. LXXX, ut Horatio reddendum censeret complices. Quam et verbi et sententiae novitatem ne levissima quidem cura probatam (neque enim nunc desunt, quibus sua ipsorum auctoritas pro ratione sufficiat) fastidio est inquirendo convincere. Neque in incepto devio morari refert, si quid

veri emergit. Occurrit autem et quasi lucet primum hoc: nomine Nymphe (quod non minus recte dici, quam Nympham testis est maxime Ovidius) sic scripto, ut scripta invenimus Libyae apud Philargyrium Virg. Georg. III. 175 pro Libye, ut indicavit Barthius Adv. L. 7 p. 2346 et quos nominavit Wernsdorfius P. L. M. V. 3 p. 1409, Prognae Scal. Ind. Grut. Inscr. p. LXXXIV multaque, quae alibi perstrinximus, quum praesertim in loco proxime superiore legeretur rident, factum esse, ut simplices Nymphae in ea parte exsisterent pro simplice Nympha. Quod ipsum quo erroris genere conflatum sit, vix potest ambigi, nisi forte quis neget hic accidere potuisse, quod saepissime accidisse constat (Stat. Ecl. ult. p. 303. 304), ut litterae et hae: c et s et illae: m, n et ti, ci permiscerentur succederetque istud simplex (quod „peculiariter tribuitur puellis" Ruhnk. Ovid. Her. II. 64 p. 13) voci centiplex (cemplex. cētiplex) librariis quidem, opinor, maxime mirabili: quotusquisque enim norat vel illud Claudiani: triplex Gratia (Jahn. de Europ. p. 34)? Quid multa? his:

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Centiplex Nymphe ferus et Cupido

eam complexus est Horatius sententiam, quam ipsa res requireret. Risisse enim omnes Nymphas Veneris comites sive centenum Nympharum chorum (Auson. Ecl. de Rat. Puerp. 4. Stat. Silv. IV. 4, 43) ait sequutus veterum poetarum exemplum, de quo existimatur et ex iis locis, quos indicarunt Barthius et Burmannus Grat. Cyn. 17 p. 20 cf. Ovid. Am. III. 6, 63, et ex iis, quibus Pindarus et Sophocles *κορᾶν ἀγέλαν ἑκατόγγυιον* et *ἑκατόμποδας Νηρῇδας* memorarunt Schoemann. Opusc. Acad. II. p. 164 not. 65.

LXVII.

Quod ipsum dicendi genus doctos homines in carmine III. 14, 10:

Vos o pueri et puellae
Jam virum expertae **male ominatis**
Parcite verbis

adeo fefellit, ut tantum abesset, ut insigni librariorum flagitio acrius se intenderent, ut multa et mira machinarentur in parte minime aegra. Namque Bentlejo scribere visum est male inominatis assensiqne sunt Meinekius et Hauptius; multis satis placuit aut male ominatis aut male nominatis; Lehrsius ad singulare artificium descendit hoc p. CXV: male et ominatis;" reliqua autem sic, ut in libris scripta extant: puellae Jam virum expertae" retinuerunt Meinekius Hauptiusque (de Groebelio Obss. in Scriptt. Rom. Class. Specim. XIII. p. 4, cui adversatur Gaertnerus Jahn. Annall. 1833 p. 346, non satis memini); sed multorum consensu frequens est: jam virum expertes; quidam probarunt non virum expertae; Pottierus Lehrsiusque haud virum expertae; Horkelius vel hoc protulit: puellae ac Jam virum expertae, quod merito improbavit Lehrsius p. XVII. In alia omnia transeundum videtur. Vix enim dubium est, quin verba puellae expertae vere statuam ab iis grammaticis profecta esse, qui ignorarent exempla Silii II. 84: nec non Veneris jam foedera passae Reginam cingunt, sed virgine densior ala est" Tibullique I. 3, 87: At circa gravibus pensis affixa puella — deducat stamina", de quibus dixerunt Lachmannus Prop. IV. 2, 29 p. 237 et Dissenius Tib. p. 85 cf. Sidon. Apollin. VII. 358: bissenas vulturis alas." Sil. XII. 333: centum cadet hostia cultris;" pueri et puella autem, ut Sen. Herc. F. 853: virgines — et — ephebi — et infans." Colluth. 114. Jac. Achill. Tat. p. 435 et Phil. Im. II. 24 p. 533. Hercher. Philol. VII. p. 463, ne jam abeam ad Silium XI. 25: Eridani tumidissimus accola, Celtae" universumque genus definiam. Quo posito ac concesso facile intelligitur iis, quae ab Horatio scripta fuerunt:

vos o pueri et puella
Jam virum expertura male ominatis
Parcite verbis,

damnum importatum esse ea librariorum levitate, cujus documenta haec satis est attulisse: Petron. 132: naturali convicio. Memm. Leid. natali. Schol. Virg. Georg. I. 138 Cynosura. Bern. p. 857 cinosa. Coripp. Jo. V. 431 securum. Triv. secum; nam et de Curtio III. 35, 17 nunc aliter sentio

atque in Sinide VI. p. 118) et apud vett. intpp. Virg. Aen. VII. 606 (Valg. p. 353) verum est, quod in ipso codice extat: Nicae cf. Gust. Wolff. Rhen. Mus. XIX. 2 et Buecheler. p. 639.

LXVIIII.

Horatii I. 16, 7:

non acuta
Sic geminant Corybantes aera

sententiam esse docuimus Epist. Crit. p. XI—XIII hanc: Non tanto aut Cybele aut Apollo aut Bacchus sacerdotes suos incitant impetu, non tantam audientium mentibus vim adhibent Corybantes aera geminantes, quanta irae tristitia sive irritatione (Epist. Crit. p. XII. Anal. Prop. VI. p. 41) afficiunt hominem (cf. Arrhian. ap. Eustath. Dionys. Perieg. 809 p. 256, 10: *μαίνονται τῇ Ῥέᾳ καὶ πρὸς Κορυβάντων κατέχονται.* Dio Chrys. XXXII. p. 682, 24: *ἐκ Κορυβάντων τινῶν κατέχεσθε.* Epist. VI. Anecd. Ox. p. 167, 24: *Κορυβάντων ἂν ἐνεπλήσθημεν.* Synes. de Provid. p. 116. A: *ὅ τε στρατηγὸς νύκτωρ ἐδειματοῦτο Κορυβάντων, οἶμαι, προςβαλλόντων αὐτῷ*) vel si Corybantes furorem experiri ipsi magis, quam aliis injicere videantur: non tam tristes id est furiosi fiunt Corybantes, ubi aera geminant, quam tristes sunt irati homines" sive, id quod per Boissonadium Plan. Met. p. 366 et Psell. p. 292 licet, Iras (deas) et iras (humanas) mavis in eodem loco ponere: quam tristes sunt Irae." Ut horum versuum descriptio hac sit ratione designanda et conficienda: non Liber aeque, non acuta Sic geminant Corybantes aera, Tristes ut Irae. — irae Thyesten exitio graves Stravere" cf. Ammian. Marc. XVII. 11, 1 (quem locum nuper Progr. ad C. Horn p. 4 emendavimus): his congruentia plurima aeque ut tintinnabula principi resonantes." Hand. Tursell. I. p. 192 sq. Seyff. Cic. Tusc. III. 25, 59 p. 64 add. Stat. Theb. VI. 405: quae tantum carbasa ponto, Quae bello sic tela volant?"). Quamquam priorem potius explicandi rationem adjuvat Seneca de Ira I. 2: adspice nobilissimarum civitatum fundamenta vix notabilia: haec ira dejecit. — Adspice tot memoriae proditos duces mali exempla fati: alium ira in cubili suo confodit, alium inter sacra

mensae ira percussit.“ Cf. Dionea nostra in Actt. Darmst. 1842 p. 1205. Et hujus quidem sententiae (ab Orellio p. 104 non satis perpensae atque exploratae) eo minus nunc poenitet, quod Lehrsium p. LIII jam videmus supposuisse vocem vilem nullique librariorum injuriae obnoxiam: Qui geminant“ idque fecisse contempta auctoritate Bentleji, quem recte hoc protulisse: Si geminant“ judicarunt Meinekius atque Hauptius.

LXIX.

Ejusdem Lehrsii p. CX consilio versum III. 6, 22:

Motus doceri gaudet Jonicos
Matura virgo et fingitur artibus

(sub exemplo, credo, Peerlkampii: A matre virgo“) immutandi vel sic: Matrumque virgo fingitur artibus“ vel hac, quae ei potior visa est, ratione: Romana virgo et fingitur“ (cujus rationis ego video extitisse suasorem auctoremque Axtium Conj. Hom. p. 21 Progr. Crucen. 1860: Romana virgo et fingier artibus; jam nunc et —“) obviam eundum est et obsistendum iis argumentis, quibus Valg. p. 399—403 comprobavimus ab Horatio versus 21—25 non de motibus Jonicis atque aliis artibus, sed de sola Jonica saltatione, qua nullum majus aut detestabilius esset amorum irritamentum, scriptos esse:

Motus doceri gaudet Jonicos
Matura virgo et **frangitur artubus,**
Jam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui.

Fingi vel frangi artubus enim, quod idem est atque illud, quod Amphilochius Epist. ad Seleuc. 92 p. 494. A usurpavit: *μελῶν λυγισμοῖς συγκατακλῶντες φύσιν* (Valg. p. 399 cf. Toup. Emendd. Suid. I. p. 109), nihil propius et sibi adjunctius habere re his verbis prodita: jam nunc (quum matura Jonicos motus novit) et incestos amores De tenero meditatur ungui“, quae cum aliis locis illustria fecimus p. 403 tum Automedontis Epigrammate III. 1 Anth. Gr. p. 191: *Τὴν ἀπὸ τῆς Ἀσίας ὀρχηστρίδα, τὴν κακοτέχνοις Σχήμασιν ἐξ ἁπαλῶν κινυμένην ὀνύχων Αἰνέω, οὐχ ὅτι πάντα παθαίνεται οὐδ᾽ ὅτι βάλλει Τὰς ἁπαλὰς ἁπαλῶς ὧδε καὶ ὧδε χέρας*, declarat Procopius ap. Villois.

Anecd. II. p. 40: ἄῤῥενες — διεκλῶντο τοῖς μέλεσιν ἀντὶ τῆς γλώττης κινοῦντες τὴν χεῖρα cf. Isidor. Origg. I. 25, 2 p. 41. Unde jam apparet verba: de tenero ungui" non in ea posita esse sententia, quam Sarbievius I. 20 p. 36: Pulcro— pulvere gaudeat Impubis aetas et strepitum et minas Jam nunc et audaces tumultus De tenero meditetur ungui" tenuit, sed ab Horatio ad manuum loquacitatem (Erhard. Petron. p. 864) significandam prolata secundum eum usum, de quo existimatur ex Ovid. Met. VI. 80: Percussamque sua simulat de cuspide terram." Nemesian. Cyn. 16: ignemque jugalem Letalemque simul novit de pelicis astu." Calpurn. Ecl. IX. 11: tam tenui filo de voce sonaret." Conject. Stat. V. p. 177. Quae si cui subtilius disputata esse videbuntur, ei integrum est in eam concedere sententiam, quam maxime Orellio probavimus ductam ex iis locis, in quibus ὀνύχων ἄπο, ἐξ ὀνύχων (ἁπαλῶν) φιλεῖν dicuntur ii, qui usque ab unguiculo lasciviunt. Cui sententiae qui adversantur Herbstius Lectt. Venus. p. 5 Progr. Gedan. 1858 et Roederus Coroll. Venus. p. 23 Progr. Coeslin. 1869, nihil egerunt; ille enim omnium, quas nos l. d. investigando exsequuti sumus, rerum plane ignarus hac defunctus est interpretatione p. 6: Matura virgo jam nunc, antequam nupta est — quod ex sequentibus intelligas — fingitur artibus et quamvis tenera sit, meditatur secum incestos amores", hic docuit „arctissime inter se cohaerere verba: jam nunc de tenero ungui i. e. jam nunc tenera aetate virginali incestos meditatur amores, mox nupta libidinibus suis servit impudenter" neque aut hoc sibi quaerendum intellexerat, quid tandem sequutus Horatius recesserit a recepto dicendi genere: a teneris, tenero ab ungue (Heins. Claudian. VI. C. Hon. 79 p. 480. Valg. p. 402), aut illud addidicerat apud Plautum legi: usque ab unguiculo festivissimam", apud Lycophronem 844: ζωοπλαστῶν ἄνδρας ἐξ ἄκρου ποδός (Schol. Paris. A p. 183: λείπει δὲ τὸ μέχρι τῆς κορυφῆς), apud Gregorium Naz. ἐξ ὀνύχων καθιερωθήτω τῷ πνεύματι et Leonem Diaconum VI. 6 p. 100, 27: ἀνὴρ ἐξ ὀνύχων τὸν ἐρημικὸν καὶ ἀπράγμονα βίον αἱρετισάμενος, denique apud Plutarchum ἔνδοθεν καὶ ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων ἀγαπᾷν (Valg. p. 402 sq. cf. Bergk. de Hermesian. Eleg. p. 34).

Quorum locorum rationem habere Seyffertum quoque fugerat ap. Muetzell. Actt. ad res gymn. pertin. 1860 p. 584 eum versum sic scribendum esse arbitratum: fingitur artibus, Jam nunc ut incestos —."

LXX.

Quibus ita deliberatis et expositis quum satis liqueat de voce matura, quam Peerlkampius viderat „male convenire cum sequentibus, ubi eadem virgo dicitur amores incestos meditari de tenero ungui", explicandum est de ejusdem carminis versibus 25 sqq.:

Mox **juniores** quaerit **adulteros**
Inter mariti vina neque elegit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia,

quos idem Peerlkampius in controversiam adduxit his: in vulgatis non recte conveniunt quaerit neque elegit. Quaerit juniores cum judicio et arbitrio. Si non elegit, sed jubetur et vocatur, non licet ei quaerere, sed esse debet contenta etiam sene. Puto interpungendum: Inter mariti vina neque elegit." Adversus quam argumentationem nihil attulit aut Meinekius aut Lehrsius p. CX. Sed enim multiplex et maxime scrupulosa relinquitur disputatio. Quid enim? quo tandem pacto juniores adulteros memorari potuisse arbitrabere? nam si Peerlkampio assentiris, sequitur, id quod inconsideratae est temeritatis, ut adolescentulam suspicere incursasse adulteris semet ipsa junioribus („se minores quaerit adulteros"); sin Acroni et doctis omnibus credis adulteros dici sene marito juniores, mera portenta narras de Romanis virginibus a senibus duci solitis. Quid tum? mentione maturae virginis facta poetaene assiliendum statim fuit ad notationem conjugii communi flagitio proditi? Quid? nonne propositi argumenti forma hoc postulavit, ut virginis crimina tot fere gradibus distinguerentur, quot sua opinatione finxit Cruquius: „primum ab infantia docetur virgo molliter saltare corpusque movere: nubilis cogitat incestos amores: nupta jubet juniores adulteros invitari: inter pocula deligit

amores privatos; postremo marito quoque conscio fit omnibus publica meretrix." His igitur subductis rationibus quid potest tam apertum esse tamque perspicuum, quam vocem juniores falso legi, provenisse autem librariorum errore litteras iunores (viliores cf. Adnot. Stat. Ecl. ult. 24 p. 37) et iuniores permutantium? Neque enim praetereunda Horatio fuit notissima licentia earum virginum, quae diu amores de tenero ungui meditatae jam „occulta libidine, ne servati pudoris puellae videri desinant, quaerunt adulterum quempiam" (Apul. Met. IX. p. 639) sive servum sive plebejum: utrumque genus enim proprie vocatur vile (Bourdelot. Petron. 105 p. 633. Cort. Lucan. V. 263 p. 605). Quid enim sit illud: quaerit adulterum, declarat et Petronius 126 p. 776: domina mea — in extrema plebe quaerit, quod diligat" et illud quaerere virum, cujus vim explanavit Scaliger Lectt. Auson. I. 27 p. 78 et quos in Calvi fragmento XXI disceptando afferendi locus erit. Proxima huic sunt, quae apud alios inveniuntur: occulta libidine prorumpit in adulterum quempiam" Apul. l. d., servis incurritur Juvenal. VI. 331. Pric. Apul. Met. VII. p. 291. irruere Oud. p. 487. Ergo his:

Jam nunc et incestos amores
De tenero meditatur ungui;
Mox viliores quaerit adulteros,
Inter mariti vina neque elegit —

poeta scribit tribus deinceps criminibus pudicitiam coinquinari et pessumdari: virginem primum ab Jonico saltationum genere in amores penitus perpruriscere, mox furtivos vilium puerorum amplexus obire, postremo nuptam eo procedere, ut non eligat (Pric. Apul. Met. VI. p. 268) amatorem, sed conscio marito inter convivia corpus vendat.

Hinc ad ea, quae I. 6, 18 in omnibus libris sic leguntur:

proelia virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium,

degredi licet, quo rem reddam a doctis praetermissam: jam ante Peerlkampium Franc. Oudinum Misc. Obss. Nov. V. p. 407 sic statuisse, ut Firmicum de Err. Prof. Rel. p. 420 haec: nec reservati ungues contra amatorem rusticum aliquid pro-

ıerunt" recordatione Horatii ductum scripsisse arbitraretur. .lud quidem liquet non earum Horatio cordi fuisse proelia, uae „prosectos in pugnam" ungues haberent, ut visum est ›arthio Claudian. Epith. Pall. 137 p. 462, sed amores contenionesque virginum semper cultiorum, quales dicit Paulus ›ilentiarius XXXII. Anal. Br. III. p. 78: *τίνι χεῖρας Φαιδρυνέεις ›νύχων ἀμφιτεμοῦσ' ἀκίδα.*

LXXI.

Quod carmen (III. 20) obscurum et vix Horatio dignum lixit Peerlkampius p. 321, id tanti viri auctoritate abusus .ehrsius p. CXX licenti potius, quam faceta irrisione corri›iendum sibi putavit, non acri et diligenti rerum dubiarum nvestigatione pertentandum. Age igitur: quia pugnare videur versus 9: tu celeres sagittas promis" cum versu 3:

> Dura post paullo **fugies** inaudax
> Proelia raptor,

deone id pro certo affirmandum fuit, quo concesso doceas lefendasque fieri potuisse, ut grammaticus aliquis sive „rheor", qui parum recte sentiret, versus usque ad certam quanlam et deformatam Horatii aemulationem speciose effutiret? Juale infirmitatis suffugium aversati sic potius statuimus li›rariorum inscitia hic peccatum aliquid esse, Horatium autem ıon solum vocem inaudax insolenter finxisse (quamquam videtur quaeri posse, an olim fuerit male audax, quod ıunc est inaudax cf. XXXVII, ut I. 37, 17 suburgens, quod ıunc est adurgens), sed etiam verbum addidisse non minus insolenter dictum in hanc sententiam: quoniam non vides, juanto periculo leaenae catulos moveas, age jam, raptor ignavissime, etiam proelium move quam durissimum:

> Non vides, quanto moveas periclo,
> Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae:
> Dura post paullo **vegeas** inaudax
> Proelia raptor.

Juod ipsum verbum Ermoldo Nigello III. 83: Jam magis atque nagis mens improba nutat et armis Insuper exsertis bella ne-

fanda negat" reddendum esse censuimus Stat. Conject. XX p. 279 freti Ennio Ann. 477 p. 70: Vulcanum ventus vegebat" et Com. 2 p. 153: aequora — veges ingentibus ventis."

Neque aliter sentiendum est de versu 13:

Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis.

Quem longissime ab eorum locorum similitudine sejunctum, quos post Marklandum Peerlkampiumque explanavimus in Sinide V. 3 p. 100 sq., non temere suspicamur hoc habuisse acuminis: decertandi amore Pyrrhus et leaena fervent: quid jam Nearchus? juvenis fastidiosus ipse quoque fervet nimirum mirifico studio palmam pedibus calcandi et capillos leni vento recreandi:

Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam
Fervet.

Fervere autem recte dici eum, qui palmam calcare summo studio cupiat (Barth. Brit. Philipp. I. 619 p. 74), Claudianus docet Rufin. II. 295: sceptrumque capessere fervet" et B. Gild. 350: jam stagna secare Fervet", quam locutionem omnibus vatibus familiarem dicit Barthius l. d. add. Heins. Claudian. Rufin. II. 433 p. 101 cf. Stat. Theb. III. 73: gliscis regnare. Achill. II. 111: visere gentes — Ardeat." Claudian. III. C. Hon. 81: stabulisque minari Aestuat." Licet adjicere quod summovimus verbum, a Lehrsio p. CXXXIV sq. illatum esse in Epod. XVI. 15:

Forte quid expediat communiter aut melior pars
Malis carere quaeritis laboribus

in hunc modum: Ferte quod expediat communiter aut melior pars Malis carere quo velit laboribus." Quo probabilius videtur hoc esse:

Sorte quid expe**diet?**

Nam gravissime a poeta v. 11 sq. sortem ultimam rerum (Cort. Lucan. VII. 122 p. 158 sq. Sil. IX. 637: Haud umquam expedies tam dura sorte malorum") descriptam videmus.

Illuc redeo. Neque enim melius in reliquis successit Peerlkampio. Quod enim versum 8:

Grande certamen, tibi praeda cedat
Major an **illi**

meliorem sibi visus est fecisse hac correctione: tibi praeda cedat, Major an illa", quam veram esse judicarunt Meinekius et Hauptius Lehrsiusque: fugerat cum omnes tum illum ipsum hoc ab Horatio dici: ibit repetens Nearchum, grande certamen (v. Acron. p. 341, 11. Burm. Virg. Ecl. VII. 16 p. 112), Pyrrhone an Leaenae pràeda cedat jam laude devicti hostis major facta cf. Ovid. Met. XIII. 19. Quod autem latinum esse insignem negavit (p. 321 sq. et Virg. Aen. II. p. 73), id factum est et invitis Barthio Stat. Theb. X. 768 p. 1250 et Heinsio Tac. Germ. 31 p. 748 et nulla ratione habita verborum proxime superiorum, ex quibus colligitur talem fuisse Nearchum, qualem scribit Virgilius Marcellum VI. 856 aut Didonem I. 497 sq.: supereminet omnes." Denique in versu 15 nihil opus esse ista, quam hac arte paravisse sibi videtur: Nireus, puer aut aquosa Raptus ab Ida", medela ex iis perspicitur, quae supra XV exprompsimus.

LXXI.

Quae I. 16, 23 sic scripta:

me quoque pectoris
Tentavit **in dulci juventa**
Fervor

satis placuerunt omnibus, ea nullo pacto ferri posse quum intellexisset Seyffertus noster in Muetz. Actt. ad gymn. pertin. 1860 p. 579 auctor extitit hujus mutationis: pectoris Tentavit impulsi juventa Fervor" (cui proximam hanc addere licet: impulsu juventae Cort. Lucan. VI. 123 p. 23). Quocum sic nostrum discrepat judicium, ut librariorum culpa abolevisse arbitrer vocem minus pervulgatam:

pectoris
Tentavit **indultus** juven**tae**
Fervor.

Quam vocem invenimus apud Claudianum Mall. 138: satis indultum studiis. Avien. Arat. Phaen. 110: rerum memor indultarum. Eleg. de Nuc. 39: spes indulta rapinae. Avian. XXX. 6: Perdidit indultae perfidus auris onus. Ammian. Marc. XXIX. 2, 18: informatio doctrinarum munere coelesti indulta felicibus. XIV. 1, 4: licentia crudelitati indulta. Paulin. Epist. ad Auson. I. p. 741. B: Fandique munus munere indultum dei." Sidon. Apollin. Ep. IV. 24: indultis tantisper induciis cf. Eumen. Grat. Act. 2, 2. Ut simile sit illud Inc. Paneg. Max. et Constant. 4, 1: concessae aetati voluptates" (Schulting. Quintil. Decl. CCCLVII p. 749), quamquam ambigi posse non infitior juventane scribi praestet (Ammian. et Paulin. ll. dd. Thys. Gell. Praef. p. 2: animus interstitione aliqua negotiorum data laxari indulgerique potuisset" cf. Val. Flacc. II. 356. Martial. I. 105, 3. Pacat. Pan. 32, 3. Tertullian. Pudic. 1 extr.: crimina, quae non capiunt indulgeri", quemadmodum apud Silium est VII. 284: Pacem nocte datam mortalibus orbis agebat") an indulgens (cf. Stat. Theb. IV. 835 indulgent. Barth. opt. immulcent) juventae (Burm. Grat. 295 p. 201. Cort. Lucan. IV. 664 p. 532. Suet. Claud. 16: parcius aetatulae indulgeret"). Proxime ad Horatium accedunt Seneca Tro. 250: Juvenile vitium est regere non posse impetum. Aetatis alios fervor hic primae rapit" et Claudianus B. Get. 498: calidae rapuit te flamma juventae (τὸ ἐξημμένον τῆς ἡλικίας Segaar. Clem. Alex. Q. D. S. 8 p. 172) cf. Cic. Sen. 13, 45. Lucan. II. 557: Fervidus haec iterum circa praecordia sanguis Incaluit", cui adhibere Calpurnium Ecl. V. 22: calidi scintillat fervor amoris" fugit Trillerum p. 280. Discrepat Silius I. 187: Hinc virides ausis anni fervorque decorus."

LXXIII.

Qnod III. 4, 11 legitur:

Ludo **fatigatumque somno**

Savaroni quidem adeo ad intelligendum difficile, ut fatigatum interpretaretur esse recreatum (Sidon. Apollin. Ep. IX. 13 p. 603), a Mitscherlichio Homeri comparatione Il. X. 98:

ἀμάτῳ ἀδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ (Od. VI. 2) illustratum nemo dhuc confirmavit Septimii de B. Troj. exemplis (cf. XL) ʼ. 12: fessis dein multo vino atque somno barbaris" et ʼI. 9: Neoptolemum in spelunca fatigatum navigio omnoque jacere"; a quo dicendi genere recedendum sibi utavit Scholiasta Bern. Virg. Ecl. V. 11 p. 785: filium (Alconis) udo fatigatum et a somno correptum draco comlexus est." Contulerat autem cum Horatio alterum Septimii ocum Dacieria, quam qui laudavit Wopkensius Misc. Obss. Nov. II. p. 91 de altero loco haec addidit: fessis hic videtur sse torpentibus; somnus autem somnii desiderium deotat. Sic somno gravari apud Ovidium, Valerium Flaccum liosque reperies." Wopkensii immemor fuit Meinekius Carm. I. 3, 16 p. XIII.

Perdifficilis est quaestio de versu 10:

Altricis extra limen **Apuliae,**

in quo male positum esse Apuliae nomen cum alii multi praeter Gifanium Coll. Lucret. p. 237 (Apulliae) et Ouwens. Noctt. Hag. III. 4 p. 376 (Vulture in arduo — limen Apuliae) cf. Seyffert. ap. Muetz. Actt. ad res gymn. pertin. 1860 p. 581 sq. fatentur tum Lachmannus Lucret. I. 360 p. 37. Vitii medelam excogitarunt alii aliam: Bentlejus limina sedulae, Paulyus limina providae vel lumina Pulliae, Horkelius limen adulterae, Roederus Corollar. Venus. Progr. Coeslin. 1869 p. 19 limina pallidae; Usenerus limina patriae, Hitzigius limen adoreae; Paldamus Mus. Rhen. VI. p 633 Dauniae; Hammacherus Sched. Crit. Progr. Trevir. 1858 p. 17 Apollinis; Schneidewinus Gotting. Litt. Ind. 1855 p. 757 limina devium (id est vagatum); Lehrsius p. CII limina devio aut devium; postremo Herbstius Nov. Ann. Philol. et Paed. 1871 p. 432: limina villulae. Equidem etiamnum (Anal. Prop. p. 99 sq.) fortiter affirmo commemorari ab Horatio non suam ipsius altricem, sed nutricem (hoc enim extat et in aliis codicibus et in Blandinio et Bernensi) palumbium, ut I. 22, 15: Jubae tellus — leonum Arida nutrix." Aperiendum enim fuit, unde tandem Veneris aves venerint ad infantem fronde nova contegendum. Neque enim illud solum

Bantinis hominibus Forentinisque mirationem fecit, quod collata lauro myrtoque (de qua re explicavit Jacobsius Philostr. Im. II. 12 p. 467) a viperis ursisque defensus est infans Horatius, sed quod fabulosarum avium grex in Appulum Vulturem ex sede memorabili et remotiore (id quod perspexisse puto Platenium Abassid. Prol. extr.) advolasse videbantur (quemadmodum „Platonis in cunis dormientis labellis mel instillasse apes non montem Hymettum, sed Musarum Heliconios colles depastae" visae sunt Valer. Max. I. 6 ext. 3). Advolarat autem ille grex ex iis finibus, qui Ennii natalibus sunt illustres. Strab. VI. p. 282: ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Ῥοδίαι τέ εἰσι καὶ Λουπίαι. Plin. N. H. III. 11, 16 Lupia. Frontin. de Colon. p. 127: ager — Lyppiensis, Metapontinus — Rodinus." Tzschuck. Pomp. Mel. Nott. Crit. P. II. 2 p. 326. M. Schmidt. in Messapiorum capite ap. Kuhn. Actt. de Comparat. Ling. XX. 1 p. 50 sq. An potest esse ulla religio, quominus litteras: limen apuliae (pulliae) ad hunc ordinem revocemus: limina lupiae:

Nutricis extra limina **Lupiae**?

Sed nolo argumentari de Lupiae rebus sacris (Klaus. de Aen. et Penatt. p. 432 et not. 683. p. 446 cf. p. 437. not. 684) aut de sedibus palumbium (Bochart. I. Hieroz. I. 3 p. 14, 39. II. libr. I. 8 p. 53, 22 sq.) et quibus fabulis celebratae eae aves fuerint (Bochart. P. II. libr. I. 1 p. 4, 7. Bod. Obss. in Mythogr. I. 4 p. 171) aut pertractare ea, quae inchoavimus Anal. Prop. l. d.

Praestat enim jam tandem absolvi de versu ejusdem carminis 44:

scimus ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit **caduco**.

Quem satis probatum Sarbievio (IV. 1 p. 138: Frustra caduci fulminis artifex Moles ab alta turre remugiit" et I. 12 p. 24: cum caduco Moenia concutientur igni") postquam Bentlejus merito in disceptationem vocavit, vitio velamenta quaedam (quid enim aliud dicam?) quaesiverunt, ut Abreschium Animadv. in Aeschyl. I. p. 278 praeteream, Burmannus Ovid.

Am. III. 6, 91 p. 496 et alter Burmannus Prop. IV. 11, 53 p. 744 ne Senecae quidem memores Agam. 534: flamma perstrinxit cadens." Nuper Lehrsius multa de vi et usu vocis caducus ea quaerendi et disserendi subtilitate commentatus p. CII — CVII, qua in omnibus, quoscunque disceptare ingressus est, locis utendum ei fuerat, eo profecit, ut omnes veritatis numeros habere pronuntiaret corusco, nec vidit sibi ad persuasionem apposite hoc edocendum fuisse, quo tandem ducti consilio librarii pro „usitatissimo epitheto alterum inauditum" sumpsisse viderentur. Quid igitur mirum non succurrisse ei, quod in expedito positum esset? Neque enim obscurum est immanem turmam ab Horatio sic dictam fuisse fulmine caducam:

immanemque turmam
Fulmine sustulerit caducam,

ut a Virgilio Aen. VI. 481: belloque caduci Dardanidae."

LXXIV.

Simili librariorum errore factum est, ut quod verum erat III. 24, 39, hac deinceps pravitate detorqueretur:

Durataeque sole nives.

Quae verba vitio affecta esse qui perspexit Bentlejus recte hoc eruisse: durataeque gelu nives" videtur Lehrsio p. CXXIII illi quidem nec hoc assequuto, quod assequutos esse Meinekium Hauptiumque credo: „otiose additum esse gelu neque quidquam sententiae conferre: neque enim alia vi durari nives quam frigore" (licuit enim ipso eo argumento uti, quo Bentlejus obtinuerat commemorationem soli dimittendam esse, cujus loco Auctor Electt. Eton. Ovid. Pont. II. 3, 89 p. 770 miro errore profert sole), et Horatio dignum esse rato id vocabulum, quod ad interpretationem vocum duratae nives contulerat Acron p. 353, 39: gelu, nimietate frigoris solidatae." Nec satis successit Viro Docto, quem Peerlkampius refert in Actis Societatis Trajectinae hoc proposuisse: durataeque polo", quod idem suopte ipsius ingenio inventum Seyffertus (cf. XXX) sibi visus est confirmasse Vitruvii loco IX. 6: stella, quae dicitur polus." Quare suspicio incidit

verbis quibusdam a veteribus grammaticis interpretationis gratia adscriptis, veluti his: nives in solo gelu duratae, obruta esse ipsa ea, quae ab ipso Horatio scripta fuerant in hunc modum: Damnatumque solum nive (cf. Claudian. Rufin. II. 240: Hyperboreo damnatam sidere Thulen. Idyll. IV. 17: loca continuo Solis damnata vapore, Priscian. Perieg. 20: terras Aquilo qua frigore damnat iniquo. 658: Aëre damnati tristi nimioque rigore." Barth. Adv. XVII. 15 p. 879. Wernsd. Priscian. l. d. p. 269. Cort. Lucan. VI. 640 p. 167; verbum abigunt enim nihil offensionis habere declarant Stat. Theb. VII. 305. Sil. IV. 339. XVI. 675: nec Mago nec Hannon Nec Gisgone satus nec Hamilcare terga dedissent." XIII. 59. Ovid. Met. V. 11 Gron. cod. Heins. Schaef. Plin. Pan. 75, 2 p. 697. Heind. Hor. Sat. II. 1, 65 p. 245). Mox recordato ea, quae Valg. p. 507 sq. exposita sunt, succurrit hoc: Duratumque solum nive" exemplis commendabile Ammiani Marc. XXX. 3, 3: durata pruinis itinera cf. XV. 10, 5: humus crustata frigoribus" et Columellae X. 86: durataque summa pruinis Aequora dulcis humi", inde id, quod verum esse persuasum habeo:

Durantesque solo nives

(cf. Mitsch. Carm. III. 10, 7 p. 129). Parum enim differre duratae et durātes testantur Cortius Lucan. VIII. 413 p. 334. Oudendorpius Apul. Met. XI. p. 767 sq. Huschkius Tib. I. 6, 47 p. 172. Peerlkampius Carm. l. 31 p. 120. Sil. VIII. 233: Aequatam. Putean. Mediol. Aequantem. Claudian. Eutr. 94 Flor. damnate. Vatt. Pal. al. damnante. Arator. II. 946 lucete. Voss. lucente. Ovid. A. A. III. 662 exagitandus. al. exagitatus.

LXXV.

Nimia audacia promptus nonnullis judicabor esse in disceptando ejusdem carminis versu 4:

Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum.

Ubi Lachmannum Lucret. I. 360 p. 37 hoc verissimum esse: Terrenum omne tuis et mare publicum" arbitratum plane

incredibilia finxisse satis est brevissime indicare „sine argumentorum ambagibus" (Lachm. VI. 1442 p. 337); in re aperta enim modestius hoc et reverentius. Nec confutantis orationem desiderat aut Prieni ista ars ubertatem Horatii hac quasi epitome circumscribentis: Intactis opulentior Thesauris Arabum et divitis Indiae Gazis (gemmis) non animum metu, Non mortis laqueis expedies caput" aut Lehrsii mirificum hocce inventum p. CXXIII: et mare linteis." Expromam igitur id, quo hominum doctorum judicia rectius posse experiri videar, quam illo consilio Tyrrheni maris mentioni subjungendi Maeoticum (Anal. Prop. p. 98). Sic enim statuo librarios vocabulo mare longius a nomine Tyrrhenum semoto et disclusо (cf. XXXIV p. 60) adeo deceptos atque praepeditos fuisse, ut ad alterius maris nomen comminiscendum eo proclivius aberentur, quo magis ambigua quadam similium litterarum specie describentium oculi lacesserentur. Consideranti enim quae libri praebent: ponticum, punicum (ponicum Thuan. Martial. VI. 19, 6), pulicum, publicum (Anal. Prop. p. 98) parum differre videtur et inter haec: uli, ōti et id, quod antiquitus consignatum fuit: oli et inter poli et moli; quis enim nescit permutatas tum voces motibus, montibus et molibus (Heins. Claudian. R. Pros. I. 162 p. 555 et Adv. II. 15 p. 334. Cort. Lucan. X. 329 p. 513. Burm. Anth. Lat. II. 186, 47 p. 367. 262 p. 449 cf. quae infra LXXVII not. dicentur), tum voces proles et moles (Heins. Val. Flacc. I. 612 p. 111 cf. Stat. Conject. I. p. 162)? Sed quid multa de origine et progressu ejus argumenter erroris, quo librariorum imperitia Ponticum mare sumpsisse videatur pro molibus? Jam enim tam multa commentatum poenitere ambagiosae conjectationis coepit. Nam quamquam sero, commode tamen video iis, quae de Epiro a Romanis villis occupata disseruit Turnebus Adv. XI. 15 p. 335, facilius paratum esse medendi compendium. Quod enim sic scriptum invenerant librarii: onium (cf. Addend.), id alii aliter immutarunt, quum verum esset Jonium:

Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare **Jonium**.

LXXVI.

Verba ejusdem carminis (v. 5):

> Si **figit** adamantinos
> Summis **verticibus** dira Necessitas
> Clavos

in diversum etiamnum trahunt: quibusdam enim „summis verticibus id est capitibus seu viris clavos suos firmissimos Necessitas fati adigere" videtur, ut Mitscherlichio Bothioque p. 53; Bentlejus merito aversatus hanc explicandi rationem et qui sequitur Bentlejum laudatum etiam Wyttenbachio, Axtius Spurinn. p. 90 haec praecipiunt: summis verticibus est dativus i. e. usque ad capita id est firmissime eos constringit, ut effugere nequeant"; Dacierius et Peerlkampius villarum culmina intelligi volunt. Cui sententiae magnum quoddam pondus afferre dicerem vel vocem molibus supra conjectatam, si par esse possem dubitationi, quam non motam a Bentlejo necdum a quoquam exemptam habet vox summis. Quanta enim inertia significationis ignavae atque adeo inutilis in loco, qui dissimilis est Ciceroni Rosc. Com. 7: ab imis unguibus usque ad verticem summum" et aliis ap. Burm. Claudian. Rufin. II. 62 p. 71 et Buenemann. Lactant. Opif. D. VII. 9 p. 1160 cf. Sen. Agam. 569: Lumen — vertice e summo efferens", similis Symposio Aenigm. LVII. 2: Clavus caligaris: Vertice tango solum"? Itaque eo potius inclinat animus, ut summis porticibus, non verticibus clavos fixos narrari arbitrer: porticus enim mentionem huic loco vel maxime consentaneam esse et Seneca indicat Epist. 89: quousque nullus erit lacus, cui non villarum vestrarum fastigia immineant"? et Statius testatur Silv. II. 2, 26 sq.: Mira quies pelagi — Inde per obliquas erepit porticus arces, Urbis opus." Quemadmodum igitur Proserpina nomen hominis morituri in poste apud inferos notare" fertur (Mythogr. III. 9, 11 p. 220, 7. Barth. Stat. Theb. VIII. 10 p. 789), ita Necessitas tamquam imperii sui signum clavos in summis porticibus fixisse credi potuit. Et his quidem rationes ab aliis coeptas satis explicavisse videbimur, si illud adjecerimus etiam homines τοῖς θεοῖς προςηλωμένους dici a Joanne Chrysost. contra Jud. p. 181. Matth.

Homil. I. 4 p. 54. Wytt. Plut. S. N. V. p. 126. Quam late autem pateat hoc loquendi genus ductum a clavo trabali (qui pereleganter Necessitati omnia firmanti et retinenti tribui videtur Brossio Cassiod. Var. IV. 13 p. 61. a), et ii loci declarant, quos collegit Mitscherlichius p. 321 omisso Cic. Verr. V. 21 (53), qui non fugerat Begerum Thes. Brand. II. p. 417 sq., et illa Platonis sententia documento est: *ἑκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη, ὥσπερ ἧλον ἔχουσα προςηλοῖ αὐτὴν (τὴν ψυχὴν) πρὸς τὸ σῶμα καὶ προςπερονᾷ* Phaed. p. 83. D. Fabric. Sext. Empir. Pyrrh. Hyp. III. 195 p. 175. Wytt. Plat. Phaed. p. 123. Cui sententiae nihil adjunctius est illo ejusdem Platonis dicto, quod in hunc modum retulit Gellius Noctt. Att. VI. 1 cf. Lactant. Epitom. XXIX. 9: Itidem sunt bona et mala, felicitas et infortunitas, dolor et voluptas. Alterum enim ex altero, sicuti Plato ait, verticibus inter se contrariis deligatum est: sustuleris unum, abstuleris utrumque" (unde fortasse erit, qui hoc proponere in animum inducat: adamantinos Binis verticibus — clavos"), Plutarchus autem de Def. Orac. 29 p. 349: *ἀλλ᾽ ὥσπερ ἀγάλματα προςηλοῦται καὶ συντήκεται βάσεσιν, οὕτως ἐγκεκλεισμένους εἰς τὸ σωματικὸν καὶ συγκαταγεγομφωμένους* sic usurpavit, ut in eorum scriptorum numerum recte adscribi videatur, quorum exemplis Mitscherlichius p. 322 illustravit mentionem liquidi plumbi ab Horatio factam I. 35, 20, de quo loco longe aliter sentit Lehrsius p. LXVIII. Quo autem simul illi dubitationi intendatur, quam tollendam sibi Axtius putavit hac arte: Si summis adamantinos Figit verticibus" cf. Lehrs. p. CXXIII: librorum discrepantiam figit, figet (Schol., de quo Kellerum testem ait esse Lehrsius), figat (Vanderb. codd. 2) memor Heinsii Ovid. Fast. I. 109 p. 12 et Lachmanni Lucret. III. 1042 p. 209 fortasse non temere convertere videor in hanc emendationem: si fixum it:

Si **fixum it** adamantinos
Summis **verti**cibus dira Necessitas
Clavos.

Qua eadem ratione Corippo Jo. I. 459: Jupiter — monebat — Cuspide qua Mavors transfixos funderet artus — Arcitenens crebris quis ferret fata sagittis Quosque levis torto fixisset Delia telo" reddendum esse hoc censeo: fixum iret.

Strictim attingam carmen I. 35, de cujus versu 20 supra dictum est. De reliquo enim carmine Lehrsius plura non inscite commentatus est: libenter enim profiteor omnino nobis probari et ea, quae ille de Fortuna et amica et inimica et comite (v. 22) disseruit p. LXVI, et ea, quibus p. LXVII docuit raram Fidem eam appellari, quae raro inter homines appareat (Auson. Epigr. XII. Martial. X. 78, 2, quem locum afferre occupavit Mitscherlichius Anal. p. 693. add. Sen. Herc. Oet. 601: Fidas comites accipe fatis. Nam rara fides, ubi jam melior Fortuna ruit" id est potentes domos (Ruhnk. Rutil. Lup. II. 1 p. 74) sive divites relinquit. Arntz. Cat. Dist. I. 13 p. 41. Repudiamus igitur rationes cum aliorum tum Fussii Lectt. Hor. Actt. ad Antiq. Stud. pertin. 1840 p. 1018 sq.: „te Spes et Fides (scilicet quos amat, iis te favere gaudens aut ut propitia denuo sis te orans) nec comitem abnegat (scilicet eum vel potentem), utcunque ctt. — retro cedit (scilicet ab illo potente, cujus domum reliquisti); diffugiunt i. e. fidi hominum potentium amici a Fortuna afflictos non deserunt, falsi contra amici et meretrices simul cum Fortuna diffugiunt" et Jeepii, qui nuper Ann. Philol. 1871 p. 77 hunc versum incautius (cf. Quaest. de Tanus. Gemin. IV. p. 36) fecit: Veste domos inimica stringis."

LXXVII.

Quem explicando carmini I. 35 egregiam operam navasse modo praedicavimus, in eodem tanta fuit judicii levitas p. CXXI sq., ut versus III. 21, 2—4, quibus nec verius nec elegantius scribi quidquam potuit, a tirone et factos et absurde insitos diceret, versus 21 sq. autem:

Te **Liber** et si laeta aderit Venus
Segnesque nodum solvere Gratiae
Vivaeque **producent** lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus

in hanc, quam non a tirone aliquo, sed a Lehrsio excogitatam esse fas est ipsi credere, formam revocatos: Tecum libenter laeta aderit Venus — Vivasque produces lu-

cernas" Horatii arte dignos esse sibi persuaderet. Quanto circumspectius Axtius p. 21 Progr. 1860, ne de auctoritate Peerlkampii versus 21—24 excerperentur, cavendum sibi putavit hac verborum descriptione: Te, Liber, et si laeta aderit Venus —." Verum enimvero latet hic librariorum error ut gravissimus ita ad investigandum ei non difficilis, qui et nimiam litteras p et b (Quaest. de Tanusio Gem. IV. p. 28 et Sin. I. 4 p. 13) permutandi licentiam erupisse et litteras l et t tenui discrimine sejungi *) ac verba imperandi et temperandi saepius de loco contentionem habere (Drak. Sil. II. 652 p. 119. Schwarz. Plin. Pan. 86, 4 p. 444) compertum habeat. In hunc enim verba Liber et reconcinnanda sunt modum (lībe-ret : tēperet):

Te **temperet** si laeta aderit Venus.

---

*) Cf. Carm. II. 13, 16 aliunde, quod supra VIII jussimus fieri rate e unte (nam omitto ponticum, quod esse molibus diximus LXXV). IV. 11, 5 multa, pro quo pulla supra LVII restituimus. I. 12, 31 voluere id est vetuere (LXXXIV). 25, 2 tactibus. Ms. Graev. Lactibus Add. Stat. Conject. V. p. 180. Neque alia ope succurrendum videtur esse Ammiano Marc. XIX. 8, 1. Ubi qui „innotescente jam luce insolite dictum de oriente sole" putat Wagnerus p. 336, omnino fallitur. Invenimus enim XXVIII. 4, 31 die inlucescente (cf. Jul. Valer. Gest. Alex. III. 42 p. 175: cum — dies insequens indilucesceret"). XXV. 1, 1 dies inclaruit. XXI. 10, 2: ubi lux excanduit tertia. XXVI. 6, 14: excanduit radiis dies. XXIV. 1, 1 candente jam luce. XXXI. 7, 10 candente protinus die" (ubi hoc genus attigit uno loco XXI. 10 usus Valesius p. 373). 1, 2 matutinos diei candores cf. Symmach. Or. p. Sever. 1 p. 55: candor diei. Scal. Varr. L. L. VI. p. 232. Accedit, quod proxima verba: ad potiunda sperata" in longe aliam partem dirigunt. Quid autem hujus orationis ordine lucidius: somno per breve otium capto, vim inolescente jam luce ad potiunda sperata, ira et dolore exundans — gentes in nos excitabat"? Sic enim lux vim inolescere dicitur, ut „aeternus omnium genitor humanarum rerum domina semina amoris inolevisse" Auson. Grat. Act. 23. „natura inolescere amorem nostri et caritatem" Gell. XII. 5 (a quo quae scripta sunt V. 21: inoleverat linguae illius vox", et Glossam Amplon. p. 338, 12: inolevit, innotuit" reprehensione carere docent et Glossam Papiae: Inolescere — crescere vel in unum conjungi vel notescere" defendunt ab injuria Hildebrandi Gloss. Paris. p. 178, 26 corrigentis: conjungi vel increscere") cf. Vechn. Hellenol. I. 7 p. 51.

Quo facto extremi carminis sententia praeclare congruit cum iis versibus (1—4), quos inepto inanique impetu effutito: Lehrsius censuit. Qui quod verbis: testam vivae producen lucernae" (quae hoc sibi velle: lucernae non dormitantes fa cient testae usum productiorem" nos interpretamur memore Josephi Isc. VI. 777: quibus in mensas noctis productio usus") sanam constare rationem negavit p. CXXII: ne ii quidem locis intendisse videtur, de quibus dixerunt Heinsiu Claudian. III. C. Hon. 48 p. 115. Barthius Stat. Theb. VIII. 21 p. 835. Burmannus Val. Flacc. I. 251 p. 58. alter Burmanni p. 826 in Prop. IV. 6, 85: Sic noctem patera — ducam — donec Injiciat radios in mea vina dies", aut Silio II. 30: vix conducto produximus arma Lacone" cf. I. 681 a Avieno D. O. 753: Producit noctem ludus sacer."

Neque idem hujus versus (5):

Quocunque **lectum nomine** Massicum
Servas

pristinum statum scrutatus p. CXXI vidit rem a Bentlejo prae clare coeptam sic perficiendam fuisse, ut vinum diceretu quoquo semine fetum:

Quocunque **fetum semine** Massicum
Servas.

Quis enim ignorat primas causas (Barth. Stat. Theb. IV. 21 p. 974) dici semina? ut pugnae, belli Cort. Lucan. I. 15 p. 53. amoris Auson. Grat. Act. 23. odii Ovid. A. A. III. 51 Rem. 508. nequitiae Am. III. 4, 10. Trist. II. 279. virtutum curarum Burm. Anth. Lat. V. 149, 12 p. 443. laudum Hein Ovid. Epist. IX. 83 p. 125. Barth. Claudian. III. C. Hon. 5 p. 499 ac nisi supra LI nos conjectura fefellit, fastus Hor. Carm IV. 4, 22. Quamquam alii fortasse praeferent munere; sae pissime enim numine, quod est in uno Vanderb. codice, e munere permutata sunt. Lucan. III. 205: tua munera, Palla Thuan. sec. numina. Heins. Ovid. Epist. VII. 87 et Claudia Sec. C. Stil. 284 p. 427. Drak. Sil. VIII. 233 p. 409. Arnt Eumen. Pan. Constant. 21, 3 p. 295 et Constantin. 22, p. 410.

LXXVIII.

Versus III. 2, 14 sq., quos sic praeter alios Lehrsius p. 70 sq. descripsit:

Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventae
Poplitibus timidoque tergo,

praestat conjungi in hanc sententiam: „Mors fugacem quoque virum persequitur non parcens timido tergo" sive: mors et persequitur et consequitur timidos", quod ipsum verbum Curtius IV. 55 posuit: timidissimum quemque consequitur" et de quo non commemoravit Bentlejus (cf. Valg. p. 398), Brito Philipp. V. 155: mortis formidine, quae fugientes Consequitur." Et de hoc quidem loco sic, ut volumus, descripto video idem sentire Hauptium; verum in alia omnia discedendum puto de versu Epod. V. 87:

Venena **magnum** fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem,

cui neque ab iis, quos Bentlejus nominavit, neque a Barthio Stat. Theb. IV. 620 p. 1170 aut Jevero Lucan. III. 627 p. 433 satis explicato Hauptium hac emendatione: Venena maga non fas nefasque, non valent Convertere humanam vicem" lucem affudisse consenserunt Meinekius Lehrsiusque. Immerito: namque et minore opera et certiore consilio videor hanc sententiam consectatus esse: „magae, quum gravissima quaeque possint efficere (potentissima enim venena sunt adversus fas nefasque id est maxima eorum vis est, quae et injuriosos merita poena interimit et immerentes nefarie tollit), hoc unum nequeunt efficere, ut quum ipsae homines sint, superiores tamen humanis sint vicibus. Quas vices ipse jam concitaturus ac properaturus diras imprecabor." Itaque venena dicta esse arbitror magna in fas nefasque, ut a Silio XII. 299 piger in Martem. Valerio Flacco I. 17: in — carinas Certior, Cicerone Ep. IV. 3, 3: ad levandas molestias magna:

Venena, magna in fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem.

Quo eodem modo a Propertio III. 16, 31 (IV. 18, 33) haec scripta esse: Qua Siculae est victor telluris Claudius et qua

Caesar ab humana cessit in astra vice" comprobabimus in Emendd. Prop. IV. 2. add. Cul. 339: Illa vices hominum testata est copia quondam" cf. Francisc. Sfondrat. de Rapt. Hel. II. p. 963: vitae mortalis iniqua Conditio humanaeque vices."

LXXIX.

Reddamus, quae supra LXI de carmine I. 2, 51 commentati praetermisimus. Quae enim de II. 9, 18 sq.:

et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vortices
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis

inquirendo exsequuti sumus Valg. p. 346—361, ea levius Orellius attigit. Postquam enim multi fluvium Niphaten intelligi voluerunt, Jeverus Lucan. III. 245 p. 333 Phraaten, qui Armenia cedere noluerit, dici rigidum Niphaten opinatus est, montem Niphaten (de quo praeter alios, quos recensuimus p. 349. 358 sq., Ennodius commemoravit Carm. I. 9 p. 324 B: Caspia non aliter cum tigris feta Niphaten Circuit") hic referri nos evicimus atque id verum esse comprobavimus, quod Broukhusius, Peerlkampius, Orellius, Luebkerus sumpserant, sed pravis usi rationibus. Namque haec ab Horatio dicuntur: quum magnae laudi videatur esse Niphatae montis transitus pacandaeque Armeniae peragratio, clariorem tamen esse victoriam e Medis et e Gelonis reportatam (Valg. p. 350 sq.). Quae quidem spectant ad eum annum (734), quo signis ab Augusto ex Parthia receptis et Armenia per Tiberium in potestatem redacta Romani hostes suo nomini infestissimos infra Augusti virtutem fortunamque jam tandem certissimo et gravissimo casu dejectos ferrent ac gloriarentur (p. 352 sq. 359). Quod autem Horatius addit: intra praescriptum Gelonos exiguis equitare campis" (cf. III. 8, 19: Jam Scythae laxo meditantur arcu Cedere campis"), id probabili conjectura

judicare videor spectare ad legationem a Scythis, quos cum Phraate, Parthorum rege eodem, qui postea signa Romana reddidit, arma junxisse constat, eo ipso anno ad Augustum missam, quo Armeniam captam signaque ex Parthis recepta fuisse obtinuimus (p. 354—356 cf. 360 sq.); Scytharum autem duas, Indorum tres legationes fuisse docuimus p. 355.

Nec praetereo Sarbievium III. 14 p. 106 Horatii verba mutuatum in hunc modum: Desine tristium Tandem querelarum et potius sacra Incude diffingas in aurum Saeva ducum procerumque tela" (cf. Hor. I. 35, 39) aut Pricaeum, qui similiter dixisse adnotavit Apul. Met. V. p. 254 Terentium: Lacrimas mitte ac potius quod ad honorem opus est, porro consule" et Apulejum: Pone moerorem precibusque potius — deorum maximum percole."

De ea re autem, quod v. 10 sq. Horatius uno Vesperi nomine usus est, non Eoi et Hesperi vocabulis, satis explicavimus Valg. p. 227. not. 17 et p. 450.

LXXX.

A Medo flumine veniam ad Trojanum, de quo Horatius Epod. XIII. 13:

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina lubricus et Simois.

Ubi Heinsius maluit dici flumina Scamandri flavi, Bentlejus proni, Peerlkampius puri (quod litterarum fide satis probabile cf. Ammian. Marc. XIX. 12, 3 vilis et parva. Ms. pura. Stat. Conject. XX. p. 284 posthabendum tamen fuisse videtur vel ei, quod Homerus suppeditat Il. XXI. 345. 352. Dio Chrys. XXXIII p. 458, 2 τὸ κάλλος — τοῦ Ξάνθου: pulchri Stat. Conject. XIX p. 273 cf. Virg. Georg. II. 137. Val. Flacc. V. 486. Quint. Smyrn. XI. 246. Tafel. de Thessalon. p. 288 not. 4. Theb. Parad. II. 6 p. 188), Meinekius Philol. 1847 p. 162 tardi, quod ab Hauptio Lehrsioque pro vero adscitum tantum abest ut iis locis, in quibus voces parvus et tardus permutatas esse docet Burmannus Ovid. Trist. IV. 2, 18 p. 613, probari dicam aut confirmari, ut ignavae significationis esse arbitrer (dissentiens ab Jacobo Qu. Ep. III. 1 p. 161) et frigidius ipso

illo: frigida flumina" ac prorsus indignum eo carmine, quod totum ipsi Meinekio videtur graecum exemplar spirare. Cui carmini quae verba gravius quiddam sonantia reddenda sint, perspicuum facit ipsum illud parvi, quod non incertum argumentum et indicium habemus insignis fraudis librariorum et levitate et inscientia conflatae. Namque illi intra cognitionem steterunt cum eorum, quos Meinekius l. d. testes dedit (Lucan. IX. 974. Plin. N. H. V. 30, 33. Strab. p. 58. 602), tum Lucani IX. 500: conspecta est parva maligna Unda procul vena" et Symmachi Laud. Valentinian. II. 12 p. 23: Tantumne valuit rivus Iliacus, ut in auxilium Vulcani flamma peteretur? Profundus didicit, quid parvus evaserit?"; nos quidem hoc persuasimus nobis: famam, qua Scamandri origo illustris esset, obscurari atque obrui coeptam esse illam quidem ab Horatio his, quae quibusdam fortasse videbimur audacius conjectasse, proditam:

Te manet Assaraci tellus, quam **fulgure** parti
Findunt Scamandri flumina.

Cujus famae testes sunt Scholiasta Hom. Il. XIX. 74 p. 534, 51 et XX. 2 p. 566, 2. Anecd. Oxon. I. p. 386, 13. Arsenius p. 283 sq.: *Ζεὺς — ῥίψας κεραυνὸν ἀνέδωκε μικρὰν λιβάδα, ἣν θεασάμενος ὁ Ἡρακλῆς δίψει κατασχεθεὶς καὶ σκάψας εἰς τὸ πλουσιώτερον κατειςφέρεσθαι μετωνόμασε Σκάμανδρον* (*εἴς τε πλουσιώτερον ἐποίησε φέρεσθαι καὶ διὰ τοῦτο Σκάμανδρος* Anecd.) cf. Etym. M. p. 715, 30. Tzetz. Lyc. 835 p. 819. Bachet. de Ovid. Epist. 1. p. 421 sq. et qui Scamandrum *δῖον*, divinum flumen vocarunt, Homerus Il. XXI. 2: *Ξάνθου δινήεντος, ὃν ἀθάνατος τέκετο Ζεύς* (Dio Chrys. XXXIII. p. 458, 2. Eustath. XII. 20 p. 890, 19) et auctor Il. Epit. 912. Jac. Philostr. Im. II. 8. p. 449. Itaque quod verum est: parti, eodem apud Horatium errore depravatum esse intelligitur, quo apud Propertium III (IV) 1, 27: cunabula parvi" pro his: Idaeo in Simoente Jovis connubia parta" inveterasse copiosius Emendd. Propert. Specim. V. p. 14 sq. docuimus adversus Hauptium omnino adstipulatum Gust. Wolffio hujus inventi auctori: Idaeum Simoenta Jovis cum prole Scamandro."

LXXXI.

Non melius, quam de Pyrrhae monstris I. 2, 9 sq. (LXIII) et de Vindelicorum Amazonia securi IV. 4, 19 sq. (LI), plurimi sentire coeperunt de Horatio biformi II. 20, 2. 9 sq.:

Non **usitata** nec tenui ferar
Penna **biformis** per liquidum aethera
Vates.

Ad quod carmen spectasse Sidonium Apollinarem Ep. VIII. 11 p. 527: eum jure censeres post Horatianos et Pindaricos cycnos gloriae pennis evolaturum" et alios fugit et Mitscherlichium p. 546. Qui locus non minus, quam alter ille Carm. XXIII. 453: Quamvis post Satiras lyramque tendat Ille ad Pindaricum volare cycnum" declarat falli Bergkium, qui Mus. Rhen. XIX p. 605 maluit pro penna non usitata dici non visitatam pennam, quasi vero non liqueret ante Horatium evolasse Pindarum (cf. Sarbiev. III. 25 p. 122: Non usitatis ille volatibus Praevectus udas terrigenum domos." Prudent. Cathem. VII. 56: Non usitatis ortus hic natalibus"). Neque Peerlkampio p. 237, cui cum multi jam fidem habent tum Meinekius, Lehrsius p. XC sq. (qui quidem vel universum hoc carmen Horatio indignum esse pronuntiat), Heynemannus de Interpol. p. 25 sq., assentior: „ipsius metamorphosis cycni repraesentationem illam:

Jamjam residunt cruribus asperae
Pelles et album mutor in alitem
Superne **nascunturque leves**
Per digitos humerosque plumae

abhorrere ab eo carmine Horatii neque verba poeta tanto digna esse." Scilicet hoc istud est: optare, non docere neque ea, quibus sanam constare rationem ipse neges, edisserere qua rerum opportunitate aut necessitate ducti grammatici comminisci et tamquam „aliquod Ovidianae metamorphosis specimen edere" (Peerlk. p. 236. Heynem. p. 26) in animum induxerint. Malo igitur sentire cum Sarbievio, quem I. 10 p. 18: Non solus olim praepes Horatius Ibit biformis per liquidum aethera Vates olorinisque late Cantibus Aeolioque terras Temnet volatu: me quoque desides Tranare nim-

bos — Calliope dedit — eburneam Lyramque suspendens tubamque Colla super niveisque leves Plumis lacertos." p. 21: Musa — his potius gravem Depone ripis et dolosas Deme humeris digitisque plumas" expressius Horatii vestigia legere non piguit. Sic autem existimo: veteres, quae de Sirenibus biformibus (ἡδύφθογγα πάνυ καὶ ἀνθρωποπετεινόμορφα Glyc. Ann. IV. p. 273. C.), de Sphinge (Valck. Eur. Phoen. 1030 p. 372), de Harpyiis (Heyn. Virg. Aen. III. 228. Exc. VII. p. 577 sq.), de Cecrope (διφυὴς καὶ δρακοντώδης Wernsd. Him. Or. VII. 4 p. 518. Wytt. Plut. S. N. V. p. 36. biformi Justin. II. 8, 7), de Panibus (Columell. Cult. Hort. 427: Panasque biformes"), de Capricorno (Avien. Arat. Progn. 78), de Centauris (εἰς πλάσμα μύθου καταχθῆναι ὡς διφυεῖς ὄντας Diod. IV. p. 314, 79. Fisch. Palaeph. I. 1 p. 11. bimembres Ovid. Met. XV. 283. XII. 494. Heins. et Burm. Claudian. Ruf. I. 329 p. 60) feruntur, fabulas sequendo Horatium id versibus 9—12 effecisse, ut planissime intelligeretur assumptam a poeta fuisse veram alitis naturam. Itaque qui et asperas durescentis cutis quasi testas sive squamas cruribus insidentes (v. 9) et plumas, quibus albi alitis species consummatur, per humeros digitosque nascentes (v. 11—13) commemoravit, subtiliter et distincte monstrasse videtur duplicem, ut ait Claudianus l. d., naturam ejus, qui per omnia dissimilis esset Icaro adscitis quibusdam, non nativis alis avem imitato.

De quo quod legitur v. 13:

> Jam Daedaleo **ocior** Icaro
> Visam gementis litora Bospori,

id olim fuisse notior (cod. Leid. Vanderb.) plerique credunt (Sarbiev. IV. 32 p. 195: veteri clarior Icaro"), tutior Bentlejus, quem sequuntur Meinekius et Hauptius (add. Claudian. Ruf. 279: Perseus — tutior alis"), alii aut ornatior aut cautior aut laetior, Peerlkampius audacior, Schwerdtius fortior. Qualia vocabula quis crediderit librariorum injuriae fuisse obnoxia? Quanto plus ab usu sententiaeque vi commendationis habet ea vox, de qua dedita opera quaesivimus Stat. Conject. XX. p. 276 sqq.:

> Jam Daedaleo **exsertior** Icaro

id est expeditior, ut ait Scholiasta Stat. Theb. IX. 681 p. 1057 et quos commemoravimus l. d. p. 276, sive probatior, ut Gloss. Ambros. Claudian. Mall. 42 p. 245? Cujus vocis vestigia non dubia apparent: sive enim in eo, quod Leidensis liber praebet: Daedal ea, hoc manere arbitraris: e c e (cf. III. 11, 18 atque: emicetqué vid. VI) sive iis intendis litteris, quae plurimorum librorum consensu testatiores sunt: e o o, quantum eceotior aut eootior distat ab exortus, quod pro exsertus scriptum multifariam extare comprobavimus Stat l. d. p. 281?

LXXXII.

Sequitur, ut quam verissime expediamus de carmine I. 6, 2:

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor Maeonii **carminis alite.**

Ubi hoc dici: scriberis a Vario, Maeonii carminis alite" Oudendorpio Suet. Caes. 19 p. 29 Ruhnkenioque p. 33 assensi sunt Peerlkampius p. 35 et Weichertus de Vario p. 23 not. 17 et p. 55; nuper Meinekius et Hauptius. Equidem quum non ignorem nec illa exempla, quibus praecipuum quendam in hoc genere usum esse participiorum intelligitur (cf. Hand. Tursell. I. p. 25): stimulataque pelice saeva Ovid. Met. IV. 235 cod. Gron. hospite capta Her. V. 126 (Anth. Lat. I. 8 Burm. 564 p. 202 M.: Infamavit aquas captus amante puer"). regia virgo Hospite victa sacro Sil. VI. 634 cf. 141. V. 280. numquam hoste intratos muros XIV. 218. regnatam Laestrygone terram 126. antiquo laudatus Hamilcare quondam — Ilertes III. 254 (cf. VI. 620: Laudatusque Jovi). Hercule tritas — vias II. 358. Pan Jove missus erat servari tecta volente Troia XIII. 326. afflatus fallente Cupidine XI. 422 (Anth. Lat. 560 p. 202: Venus — Cupidine cincta. Burm. Ovid. Her. VI. 143 p. 85). turbatus Jove VI. 642. prostratus Apolline Python Claudian. IV. C. Hon. 537. supero me missus Apolline complet Spiritus Stat. Theb. IV. 586. in dubiis auditus Jasone Mopsus III. 521 (Jasoni Barth. cod. Duebn. Queck. Luc. Muell. de Re Metr.

VII. p. 392. vid. Conject. Stat. XVII. p. 246). falso cantatus olore X. 504 (ambiguo deceptus Apolline Croesus" Gualth. Alex. II. 529), neque ea, quae ab Horatii similitudine propius abesse videri queant: nullus Tyrio grege plangitur infans" Stat. VI. 145 (cf. Silv. IV. 8, 16: Tot dominis clamata domus. Barth. Theb. IX. 434. p. 1006). en alio laedor graviore Pothino Claudian. Eutr. I. 481 et quae omnium maxime afferri ab Oudendorpio et Weicherto oportuerat, Sil. XIII. 409: Cetera, quae poscis, majori vate canentur (cf. VIII. 50: Iliaco postquam deserta est hospite Dido") et Auson. Epigr. I. 16: Exsulta, Aeacide, celebraris vate superbo Rursum" (quibus ita propositis nihil jam attinet quaedam addere de Ouwensio Noctt. Hag. II. 13 p. 262 et Wopkensio Justin. XVIII. 2, 2 p. 170. XXII. 4, 1 p. 199 sq., quos neglexit Handius l. d. p. 26, aut de contrariae sententiae auctore non satis idoneo Luc. Muellero Philol. XV. p. 67 sq.): haec igitur et talia quum non lateant, quominus Horatium isto dicendi genere usum esse concedamus (nullam enim eorum rationem habemus, qui scribere: Maeonii carminis aliti" Passeratio auctore ingressi sunt, ut Fiorillus Herod. Attic. p. 95, Welckerus Graec. Trag. p. 1428, Lehrsius), multae et magnae sunt caussae quibus impediamur et prohibeamur.

Quid enim? satisne placet is verborum ordo, quo verba: Maeonii carminis alite longius a nomine Vario contemptis grammaticorum de appositione, quam vocant, praeceptis separata atque adeo divulsa sunt, ut jam in media parte sententiae lateant et circumjacentibus obruantur ac ne leviter quidem, quum sint ipsa potentissima, vim suam exserant? Qui quidem ordo etiam majori est offensioni, si adstipuleris Scaligero hanc interpretandi viam ingresso in Prop. II. 34 p. 490: Diceris Vario — Maeonii carminis alite id est quum Varius sit (insignis temere addit Orellius p. 45) poeta epicus" et Epist. II. 195 p. 435: Ales carminis Maeonii est poeta epicus, ut ales sive cycnus lyrici carminis Pindarus. Ut Theocrito ὄρνιχες μοισᾶν sunt poetae —. Vario alite est ablativus absolutus Horatianus hoc est quia Varius est epicus poeta vel Vario canente. Ut: secunda vate me datur fuga. Vate me, ut Vario alite" (cf. Sil. III. 254. Claudian.

Eutrop. l. 481 ll. supra d.). Quamquam viri non nominati 'iste enim mos aliena doctrina perfruendi tamquam juste et egitime jam invaluit) rationem praeter alios nuper is comrobavit (p. 29), qui „in usum scholarum" Horatii Carmina et podos interpretatus est.

Sed ut recte ducatur hic sententiarum ordo: Scriberis, grippa, a Vario; tu enim fortis et hostium victor es, ille leonii carminis ales": nonne sentis illa, quae in extremam rtem rejecta sunt: „Quam rem cunque ferox — Miles te ce gesserit" jam longiore intervallo dirempta, ut nullo cto videantur apte cohaerere? nam hujus sententiae suasorem: rius Maeonii carminis auctor exsistet, quaecunque res te ce gestae erunt" quis tandem tulerit? Accedit, quod um poetas cycnos et Musarum aves vocari constet, arium Maeonii carminis alitem id est qui Maeonium rmen edat, recte et usitate dici nec alius quisquam adıc demonstravit nec Scaliger ll. dd. aut Mitscherlichius p. 81 Anal. p. 675 aut Fiorillus l. d. aut Welckerus Syll. Epigr. l p. 52, nos pernegamus vel Sidonii Apollinaris, quo infra emur, innixi testimoniis ducimusque in pejus notabilè, quod ripsit Sarbievius IV. 20 p. 173: Quodsi canoro carminis lite Indis morantem Musa cubilibus Hortetur exire et nirantes Luce nova reparare terras, Non et benignis respuis ıribus Aurora dici."

Verum etiam mirabilius quiddam machinati sunt docti omines rerum difficultate praepediti. Scilicet hanc subtilius nodarunt Horatii sententiam: Varius inter epicos poetas tanım excellet, quantum inter aves aut cycnus aut aquila", abeturque „regnator epicae cohortis" (Stat. Silv. III. 7, 5): ic enim post Scaligerum Epist. l. d., ne omnes recenseam, iraevius Schol. p. 15: Est hypallage pro carmine Maeonii litis h. e. Maeoniae aquilae. Ales pro aquila aut ycno, ut urbs pro Roma, ferus pro equo." Weichertus d. p. 56 not. 47: neque tanti est alitem de aquila an de ycno hic explices: id enim liquet Horatium utravis imaine Vario summam tribuere in poesi epica." Orellius p. 45 Varius ales dicitur sive cycnus Homericus, praestans oeta epicus." Tot igitur docti hoc sibi persuaserunt de Varii

ingenio Horatium alitem pro cycno nominando maluisse generatim atque universe loqui, quam proprie vereque: quod qui recte atque ordine factum esse existimet, sane periculum est ne idem Calpurnii versum Ecl. VI. 6: sic vincat acanthida cornix" elegantiorem putet fieri hoc modo: sic ales acanthida vincat." In qua caussa judicanda quam leviter plerique versati sint, insigni documento est Mitscherlichius, qui valde hoc affirmans p. 18: „Nam et cycnus et pro cycno ales solemnia sunt de poetis, ut IV. 2, 25. II. 20, 16" non hercle dispexit quantum ab alite distaret albus ales commemoratus carminis II. 20 versu 10, canorus ales v. 15 (add. Sidon. Apollin. Ep. et Carm. ll. in extrema hac quaestione d.).

Neque haec, quae ipsi argumentati sumus, non explorata ac perspecta fuerunt veteribus grammaticis: longe aliam enim interpretandi viam ingressi sunt Acron p. 24, 21: Maeonii carminis. Homerici id est tali carmine scriberis a Vario, quali usus est Homerus. Alite auspicio sive bono omine" (postrema enim haec vox adjicienda fuit omissa ab Hauthalio). Porphyrion p. 26, 19: Maeonii carminis alite. Ut si diceret: Homericis auspiciis ac per hoc Homerica sublimitate." v. 13 p. 27, 12: figurate autem negat se posse res bellicas scribere, verum Varium potius, qui sit Homerico spiritu." Scholiasta Cruq. p. 20: Maeonii carminis alite) Homerici carminis sublimitate." Interpres Graev. p. 15: auspicio vel sublimitate Homerica." Neque aliud fuit judicium Dominici Baudii, cujus mentionem inchoavimus Quaest. de Ansere poeta cap. I. p. 11. Qui posthabito, ne plures afferam, Sidonio Apollinare Carm. IX. 127: Non hic Maeoniae stilo Camenae Civis Dulichiique Thessalique Virtutem sapientiamque narro" atque Claudiano L. Seren. 19: Anne aliud toto molitur carminis actu Maeonii mens alta senis" maluit haec proferre Jamb. I. p. 155 sq.: Si mea bullatis non turget pagina nugis Alite Maeonio nec grave surgit opus." Var. Poem. p. 534. Tu nunc ingenii praedivitis alite vectus — Tendis iter." p. 544: Si non Pindarico devolvimus alite carmen Victrici canimus nec fera bella tuba." p. 560: Scaevola Pindarico victrices alite pugnas Felicique canet parta tropaea manu" (cf. I. 4 p. 11: nomen Ulyssei — Insuetum per iter Maeonius labos

Curru surrigit alite". II. 2 p. 32: humum Cursu deserit alite"). Cogitate quidem hoc jam olim factum et ad totius loci sententiam apte inventum (quod qui negat Orellius p. 45 his defunctus: alii minus apposite explicarunt: volatu, impetu, instinctu poetico, Homeri auspiciis", ipse causae statu parum cognito et explorato, ut assolet, optare maluit, quam docere); sed probabiliter et latinae consuetudini convenienter factum ne sic quidem obtinueris, si vel acerrime inculces eum Propertii locum (II. 25, 84), in quo olorem pro vi et natura ac laude oloris commemorari docuimus Quaest. de Anere poeta l. d. p. 10: ut enim concedamus, quod minime concedendum est, alitem recte pro cycno nominari ac dissimulemus supra reprehensum verborum ordinem: quis tandem praeclaram quandam similitudinem esse dixerit inter haec verba Propertii: nec — canorus Anseris indocto carmine cessit olor" et illum versum Horatii: a Vario scriberis Maeonii carminis alite" in hanc, si diis placet, sententiam am explicandum: celebraberis olorina illa vi, qua Maeonium carmen eminet? Quo versu quanto distinctior planiorque est oratio Sidonii Apollinaris Epist. VIII. 11 p. 527: ut eum jure censeres post Horatianos et Pindaricos cycnos gloriae pennis evolaturum." Carm. XXIII. 455: Quamvis post satiras lyramque tendat Ille ad Pindaricum volare cycnum." Igitur missam jam faciamus illam, quam praeter eos, quos supra nominavimus, Wernsdorfius P. L. M. IV. 2 p. 586 et Mitscherlichius p. 45 Weichertusque p. 56 jactant, Maeonii carminis sublimitatem et majestatem; videamus, quo valeat, quod iidem non minus audaci consilio suggerunt, auspicium Homeri. Quod vocabulum quum ipsa res declaret non positum esse in ea sententia, in qua legimus haec Avien. D. O. 10: oceanumque Carminis auspicium primum memorate Camenae", in illam spectandum est partem, in quam dirigunt Silius VI. 65: patriis heu Punica bella Auspiciis ingressus erat." Cort. Lucan. II. 464 p. 267 cf. Claudian. B. Gild. 500: Illius auspiciis immensa per aequora miles, Non Plaustris Arctove regor" (nam omitto et Prop. IV. 6, 23: plenis Jovis omine velis. Avien. Arat. Phaen. 3: Jovis omine coelum Et Jovis imperio mortalibus aethera pando.

559: scaevo omine divum" cf. Stat. Theb. X. 173: noxa— Panditur augurio divum" et ejusdem Statii Achill. I. 147: nec me patria omina fallunt. Silv. V. 2, 164: vatum non irrita currunt Omina. 173 auguria). Quo facto hanc consectamur sententiam: a Vario scriberis hostium victor Homero auspice (Valg. p. 371) sive Maeonida carminis auspice. Quae sententia et levis est idcirco, quod epici poetae omnino omnes uno ore Homerum sui operis auctorem et principem profitentur, et supervacua, quod et Augusti Panegyrico tum, quum haec scriberet Horatius (Weich. de Var. p. 55. 115), inclaruerat Varius et ad epici generis significationem non obscure pertinent verba, quae infra perstringentur: Quam rem cunque ferox — Miles te duce gesserit" mentioque Achillis et Ulixis v. 5 sq. facta. Denique, ut rem brevi certoque absolvam judicio: iis, qui „magnam laudem Varii Homeri sublimitatem aequantis illo loco contineri" (Weich. p. 56) voluerunt, faciendum fuit, ut hanc jam versus Horatii reciperet formam: Scriberis Vario — Maeonii carminis aemulo" (cf. Anth. Lat. II. 197 = 429: Ascraeus in arvis, Maeonius bellis ipse poeta fui").

Quibus ita expositis ac deliberatis expromam, quid verum esse ipse sentiam. Quum enim duo in confesso sint: et per totam versuum seriem pertinere vim verbi in principio positi („scriberis — quam rem cunque — miles te duce gesserit") et illa: Maeonii carminis alite" non referri nomini Varii, sed proximis quibusque maxime connexa esse, in quam autem partem explicari consentaneum ac receptum sit vocem alite, doceant ii loci, in quibus alia mala avi (Carm. I. 15, 5), malo alite (Epod. V. 1 cf. Sarbiev. IV. 29 p. 186: si quid avi rudes Inominata gessimus alite"), alite lugubri (Carm. III. 3, 61), alia secunda alite (Epod. XVI. 24 cf. secundis alitibus Claudian. III. C. Hon. 8. avibus Ammian. Marc. XV. 2, 9), potiore alite (Carm. IV. 6, 24. add. Heins. Adv. IV. 1 p. 562 sq. Burm. Prop. III. 8, 11 p. 579) accidisse narrantur, intelligi necesse est praedicari res ab Agrippa forti et hostium victore Homerici carminis omine gestas: nam „Maeonius cantus Homericus. Notissima res" Barth. Stat. Achill. I. 4 p. 1583. Martial. XI. 90, 3. Anth. Lat.

Il. 197 = 429, 2 p. 171. Etenim ut ille, qui „dicere ausus est optimis auspiciis ea geri, quae pro reipublicae salute gererentur, quae contra rempublicam ferrentur, contra auspicia ferri“ (Cic. de Senect. 4, 11), ita Horatius de Agrippae virtute pronuntians spectavit ad Homeri illud: *εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης*, quo nihil illustrius fuit aut pervagatius Baehr. Plut. Pyrrh. 29 p. 234. Schol. Eur. Phoen. 781. p. 169. 902 p. 198. Epist. Crit. nostr. p. IX cf. Klotz. Tyrt. p. 48. Demetr. Cydon. Epist. 4 p. 36 Matth.: *Ἕκτωρ γὰρ ἂν οὕτω πολλῶν καὶ καλῶν εὐπορήσειε λόγων συμβουλεύων δεῖν τῆς πατρίδος ἀνέχεσθαι τύχης* cf. Octavian. Manin. ad Equit. Melit. p. 14: Quid melius, quam pro patria procumbere fortes? Victores, victi semper vivetis in omne Temporis aeterni spatium.“ Barl. Heroic. II. p. 312: exaequet veteres victoria laurus — Dum patriae tutela sumus“, quo licet sententiae teste uti, sive Agrippam alite Maeonii carminis fortem hostiumque victorem (id est Hectoreo omine militantem, sed meliore potitum fortuna“, si abuti licet verbis It. Alex. X. p. 7) dici putas sive orationis hanc praestabiliorem descriptionem esse nobis assentiris: quam rem cunque Maeonii carminis alite ferox navibus aut equis te duce miles gesserit.“ Maeonii carminis ales igitur intelligitur omen, cujus mentio fit in Homeri carmine, ut apud Ammianum Marc. XXIV. 6, 9 est: catervis peditum infirmis medium inter acies spatium secundum Homericam dispositionem praestituit“, sic autem dicitur, ut a Sidonio Apollinare Carm. XXIII. 298: carminis atque fabularum — bilustre bellum“ (quem locum cum Ambrosio II. p. 115: fabularum illum aeneum equum“ componi oportuerat a Peerlkampio Carm. I. 4, 16 p. 31 non omisso Psello Opusc. p. 118, 9: *ὁ τοῦ μύθου Βοῤῥᾶς*. p. 141: *τοῦ τῆς ἱστορίας δελφῖνος*. Stat. Conject. X. p. 198) et a Plutarcho non modo *αἱ Ὁμήρου Σειρῆνες, οἱ Ὁμήρου θεοί* Lennep. Phalar. Epist. IX. p. 52. b. *Φήμιος ὁ Ὁμήρου* fragm. p. 278. *Νέστωρ* Pelop. 18. *ὁ Ὁμηρικὸς Ζεύς* Def. Orac. 30 p. 350 (*Ὁμήρειοι Λιταί* Anth. Pal. XI. 361, 2), *Σθένελος* Rat. Se Ipsum Laud. 4 p. 196 (Varr. R. Rust. II. 3, 1, quem sic correximus Valg. p. 407: accipe a me ceu Homerico

Melanthio exordium de capellis" et praeter eos, quos attulit Bentlejus A. Poet. 120, Sen. Benef. V. 25: Homericus ille sacerdos allegat — aras religiose cultas. Plin. Ep. IV. 3, 3: senex. Auson. Grat. Act. p. 708: oratores. Ammian. Marc. XIV. 6, 2 Homerici Lotophagi. XVIII. 3, 7 Phaeaces), sed etiam ὁ Αἰσώπου βασιλίσκος Reip. Ger. Praec. 12 p. 158 τὰς Ὁμηρικὰς τῶν θεῶν ῥίψεις ὑπ' ἀλλήλων Aud. Poet. p. 76. ἐν τῇ Ὁμηρικῇ πείσῃ Cohib. Ir. p. 423. ὁ πορφύρεος Ὁμήρου θάνατος Educ. Lib. 14 p. 41. ὁ Ὁμηρικὸς λέων Am. Prol. 2 p. 73. ἡ Ὁμηρικὴ ὄρνις p. 74. Neque alia, quam „Homeri nomina" Propertius dicit, cum Maeonias heroidas praedicat II. 21, 31; nec vero in commonstrando illo poetarum more vetustiora carmina significandi (Haupt. Herm. II. 1 p. 6 sq.) jam ulterius progredi libet, quam ut Ausonium afferam Cupid. Cruc. Affix. 1: Aeris in campis, memorat quos Musa Maronis" atque indicem, quod pluribus in Epistola ad Carolum Horn missa (Friedl. 1869) I. p. 5 probavi, Claudianum hoc versu Epist. IV. 8: Fors juvat audentes: Tusci sententia vatis" complexum esse sententiam Virgilii.

Ergo hoc omen (Sil. III. 12. Virg. Aen. VII. 173), quo „moenia Trojae Hector rexerat" (Stat. Theb. XI. 702), suis coeptis repetiverat Agrippa „vir ingentis animi, qui solus ex his, quos civilia bella claros potentesque fecerunt, felix in publicum fuit" (Sen. Ep. 94 p. 352) ille quidem ipse professus „in omnibus negotiis sibi publicam salutem spectandam visam esse: τὸ κοινὸν προϊδέσθαι ἐδικαίωσα Dio Cass. LII. p. 662, 1 (cf. LIII. p. 722, 1 ἐκ τῆς πρὸς τὸ δημόσιον ἐνδελεχοῦς σπουδῆς. LIV. p. 759, 78: τά τε ἄλλα ἄριστος τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπων διαφανῶς γενόμενος καὶ τῇ τοῦ Αὐγούστου φιλίᾳ — πρὸς τὸ τῷ κοινῷ συμφορώτατον χρησάμενος cf. Val. Max. IV. 7, 7): hoc omine, quaecunque eo duce a militibus Romana et publica signa sequutis (Cort. Lucan. VII. 104 p. 166. Valg. p. 461), dum Antonius pietate contempta adversus deos et patriam pugnat (πολεμεῖ καὶ τοῖς θεοῖς καὶ τῇ πατρίδι Dio Cass. L. p. 623, 64. 622, 29), terra marique gesta sunt, gesta esse omnia tradit Horatius:

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, **Maeonii carminis alite**
Quam rem cunque ferox navibus aut equis
Miles te duce **gesserit.**

Unde simul emergit atque apparet neque ea, quae Bentlejus de voce quamcunque jure dubitasse Hauptio videtur (cf. Weich. de Vario p. 23), habere satis ponderis (vel quod epici poetae est per omnem deinceps rerum seriem decurrere) et heroici operis magnitudinem his demum (v. 5 sq.) indicari: „Nos quidem haec, quae optimo omine pro republica terra marique gesta epico carmine dignissima sunt, non magis conamur describere, quam Iliadem et Odysseam condere post Homerum." Quae tantum gratiae habere videntur, quantum offensionis illa, quae iis placuerunt, qui Varium epicum poetam non re ostendi, sed verbis: Maeonii carminis alite" declarari opinati sunt; nam parcius de Agrippae laude eum scribere, qui his absolvat: Agrippa fortis et hostium terra marique victor", perspicuum est quam quod maxime. Et hoc quidem novum dedimus ejus laboris documentum, quo in explicandis Horatii carminibus omnino opus esse maxime in Valgii commentariis monuimus identidem persuasimusque Schneidewino Litt. Ind. Gotting. 1849 p. 1632.

LXXXIII.

Hinc ad eam rem relabor, a qua exorsus sum. Namque Prisciani XVIII. 8, 89 atque Acronis et Porphyrionis de carmine I. 11, 6:

Sapias, vina liques et spatio brevi
Spem longam reseces

hoc praecipientium: sapias pro si sapias" auctoritatem, cui plerique parent, nullam esse et Peerlkampius docuit et alia habeo quibus confirmem jam dicturus de versu hocce (3):

Ut melius, quidquid erit, **pati!**

In quem versum Lehrsius p. XLIV inferre non dubitavit, quod omni arte caret: utilius, quidquid erit, pati." Equidem quum ne eorum quidem, quos commemoravit Peerlkampius, coeptis melius successisse intelligam, Hauptium autem videam

jam recurrisse ad eam scribendi rationem, quam supra sequutus sum suspiciosissimam, longe aliud moliendum esse existimo. Quam autem sententiam restitui par sit, tam apertum tamque perspicuum est, ut ipsi Scholiastae ingressi sint hoc proferre: „ut melius. Subaudi possis“ (Acr. p. 41, 18. Schol. Cruq. p. 31). „Ut melius. Hinc videtur alter sensus incipere, ut sic claudatur: ut possis melius pati, quidquid erit“ (Porphyr. p. 42, 14). Cujus libidinis praesto est haec temperatio, ut vitium insedisse dicas Porphyrionis et Acronis aetate vetustius: Tyrrhenum insipias, id autem vitium tantum abfuisse ut in hunc modum corrigeretur: incipias (quod nullo negotio fieri testantur, qui concipere et consipere, insipiens et incipiens permutata esse norunt, Drakenborchius Liv. III. 23, 3 p. 199 et Arntzenius Cat. Dist. II. 18 p. 137 sq. cf. Valg. p. 58), ut sic intercepta, ut in carmine IV. 10, 2: quum veniet“ (vid. XIII. p. 28), syllaba in gigneret ipsum istud sapias nec obscuraret modo, sed obrueret eam dicendi rationem, quam (similem ei, de qua explicavimus IV. p. 11 *]) praeter eos, quos Klotzius Tyrt. p. 59 nominavit, Scaliger Catull. 82, 2 p. 164. Savaro Sidon. Apollin. Ep. IV. 24 p. 309. Oudendorpius Frontin. II. 4, 10 p. 222. Arntzenius Cat. Dist. I. 12 p. 38 sq. Ruhnkenius Terent. Andr. III. 2, 13 p. 54 (add. Ovid. Pont. I. 6, 51. Val. Flacc. VIII. 225. 245. 361. VII. 528) exemplis illustrarunt. Quid enim hac oratione et aptius et integrius:

Ut melius, quidquid erit, pati,
Seu plures hiemes seu tribuit Jupiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum, **incipias**, vina liques et spatio brevi
Spem longam reseces

sive id, quod a Meinekio p. VI defensum parum tamen Teuffelio placuit, posthaberi mavis huic: vina lites, quod probavimus XXVIII. Nec jam vereor, ne quis aut hoc: ut melius

*] Quo loco diximus Horatio IV. 2, 2 hoc reddendum videri: Pindarum quisquis studet aemulari Velle“, nescio qua culpa et Heindorfii Sat. I. 4, 111 p. 106 nomen omissum est et versus Gualtheri Alex. IV. 557: eisque nocere Velle licet liceat, sed non audere licebit“ ac Ciceronis Arat. fr. XXXII. 62 p. 11 Buhl.: Hoc cave te ponto studeas committere mense.“

ati sapias" recte dici pugnet aut inductus locis Prudentii poth. 86: Nec capit humanis angoribus excruciari" (Gloss. on. p. 475: potest: nec valet nec vult") et Paulini Nol. :. 22: Sed domini carmen tellus aliena mereri Non capit" ac Maximi Schol. in Dionys. Areop. p. 121: θεὸν αὐτὸν ήσαι οὐ χωροῦμεν hoc proferre incipiat: ut melius pati ıpias."

LXXXIV.

Ac ne illud quidem carmen involvendum silentio, quod ın modo omnium difficillimum, sed portentorum omni genere fertum videtnr esse Lehrsio p. XLIX: dico carmen, quod tigi LXIV, I. 12. Ordiri autem licet a versu 31, quo nullus t et librorum discrepantia et doctorum hominum dissensione emorabilior:

Et minax, sic di voluere, ponto
Unda recumbit

c enim scripserunt Heinsius et Bentlejus aliique multi; at ɜrum ac germanum esse hoc: cum (quom) sic voluere" ɜnsuerunt Meinekius et Hauptius illi quidem incautius secuti Acronem p. 45, 31: Qui sic voluere. Scilicet dii vel ıeri Ledae" et Porphyrionem p. 49, 19: Qui sic voluere. :o cum voluere." Quid enim non inertius modo, sed minus ınum, quam principi sententiae: quorum simul alba nautis ;ella refulsit" verba, quae idem valeant (cf. Burm. Petron. I p. 405), in hunc modum subjungi extremae parti interɔsita: Defluit saxis agitatus humor, concidunt venti fugiuntıe nubes Et minax, cum sic voluere, ponto Unda reumbit?" Sed ne ipsius Porphyrionis quidem sententiam ɔmines doctissimi videntur recte cepisse. Inde enim, quod Parisino codice invenitur: quia volvere pro convol- ere, in Bernensi et editione Romana: quod volo. pro conɔlvere, in Monacensi autem et Guelpherbytano: voluere ɔntum, non dubie intelligitur hoc praecepisse grammaticum: ɜrbum volvere hic cerni, non velle (cf. Claver. Clauan. R. Pros. II. 6 p. 572) idemque ab Horatio his: unda inax, quod sic voluere pontum" dici atque, ut hoc

utar exemplo, a Seneca Agam. 498: turbo convolvit mare" cf. Virg. Aen. III. 196: venti volvunt mare. Avien. Arat. Phaen. 866. Progn. 149. Et haec quidem ratio laudanda, quatenus illam partem: sic voluere" non dis, sed ventis referendam esse veteres interpretes censuerunt: de ipso verbo volvere non tribus syllabis (Bentl. Carm. I. 23, 4) enuntiando versuque ad hanc fere formam revocato: minax, quod sic voluere pontum" eundum est in alia omnia. Nec vero hunc ab initio puto institutum fuisse sententiarum ordinem: simulac Castorum stella refulsit, concidunt venti fugiuntque nubes et ponto, in quo modo venti nubesque vires tantopere exercuerunt, ut montes aequore pulsarentur (v. 29. Lucan. V. 615. 600. Stat. Theb. IX. 524 sq.), minax unda recumbit: Et minax, quo sic valuere ponto, Unda recumbit;" sic enim apud Tibullum legimus I. 11, 56: Flet sibi dementes tam valuisse manus" (cui ipsi verbo fortasse aliquis suspicabitur successisse verbum interpretationis gratia allatum: quam sic volvere"); vitium quidem idem invenimus apud Suetonium Caes. 69: discutere valuit. codd. Oud. p. 123 voluit et Claudianum R. Pros. III. 91 evaluit. Voss. pr. evoluit. VI C. Hon. 293 valuissem. codd. Heins. p. 491. 914 voluissem cf. B. Get. 510 volant. Pal. Med. valent. Cul. 194 voluit. Haupt. Ribb. valuit. Hujus igitur consilii atque incepti adeo poenitet, ut et hoc: quod sic voluere et quod quidam, ut assolet (cf. XX sq.), ab aliis poetis mutuati sunt: sic di (di sic, nam sic) voluere", affirmem pro iis verbis invaluisse, quae paulo insolentius dicta vitiis jam antiquitus traditis prope aboleverunt. Quorum vitiorum unum id, de quo supra LXXVII p. 149 pluribus dictum est (voluisse: votuisse, ut apud Plautum est votitus), satis est indicasse, quo jam doceam defendamque ab Horatio in hanc sententiam eum locum scriptum fuisse: Concidunt venti fugiuntque nubes ac minis ponti eum modum et finem faciunt, ut unda aequaliter sternatur:

Et minis quod sic vetuere pontum,
Unda recumbit.

Recte nos sentire docet Seneca, quem propius ad Horatii similitudinem accedere, quam Horatium ad Theocritum XXII. 19:

Αἶψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι — νεφέλαι δὲ διέδραμον ἄλλυδις ἄλλαι et Virgilium Ecl. IX. 58: ventosi ceciderunt murmuris aurae" non animadvertit Mitscherlichius: Seneca igitur haec Thyest. 588: Si suae ventis cecidere vires, Mitius stagno pelagus recumbit" (cf. Avien. D. O. 1170: stupet unda silens tacitaeque recumbunt Aequora Thonitis"), quae praesertim accedentibus Acrone p. 45, 22: Unda recumbit) Sternitur, quae vento tumuerat" et Porphyrione p. 49, 20: Recumbit autem pro eo, quod quieta est et silet', dictum est" declarant falli et Mischerlichium, cui multi fidem habent hoc praecipienti: ponto, in pontum recumbit" (cf. Claudian. R. Pros. III. 380), et eum, qui nuper voluit intelligi undam in ponto recumbentem, nos rectius hoc: minis vetuere pontum" scripsisse, quam: minas vetuere, ponto unda recumbit" cf. Virg. Aen. V. 820: Subsidunt undae tumidumque sub axe tonanti Sternitur aequor aquis: fugiunt vasto aethere nimbi." Singula autem, quibus ulcus a Bentlejo detectum sanavisse videmur, his firmare licet: minae ponti, ut et in iis locis, quos attulerunt Cerda Virg. Aen. VI. 113 p. 617. A et Cortius Lucan. V. 454 p. 635, et apud Ennodium Vit. Anton. p. 241. C: ubi Larius Jonii marmoris minas deponit", quem contendi oportuerat a Burmanno p. 578 cum Propertii versu III. 8, 6: Ponat — unda minas" cf. Stat. Sil. I. 3, 21 rabiem. II. 2, 26 furorem; minis pontum vetare autem (quod rarius invenitur, quam minas vetare Gron. Sen. Herc. Oet. 150 p. 609 et Obss. I. 5 p. 399), ut igne, Oceano vetare apud Statium vid. Barth. Theb. XII. 558 p. 1522. Neque omittam Popmam Varr. Fragm. p. 385, quo loco ventos proprie dici cadere allato Horatii versu docuit (cf. Drak. Liv. XXVI. 39, 8. Burm. Ovid. Her. XVIII. 2 p. 261), non intendisse Senecae.

LXXXV.

Quemadmodum autem hic aliquantum profuit Senecae comparatio, ita de versu 21:

Proximos illi tamen occupavit
    Pallas honores
Proeliis audax

Prop. I, 2, qua Propertii versum IV. 6, 67 subtilius exponemus), Bacchus autem il. XV. 79 cf. Hor. v. 56) domuisse s fertur.

VI.

deos, inquit p. 18, he-
ma stropha praedicare memoriam usque ad bus quasi primariae esententur, tam Quae quidem, nos ita disputata sci- Actt. ad Antiq. stud. pertin. de ejusdem Hauptii sententia atque eynemannus argumentatur p. 18: Tollitur perfecta epocharum distributio, si post Ca- ad superiorum temporum memoriam denuo praesertim ista rudi indigestaque mole exem- X et XI strophis temere profunduntur. Imo leto continuo subjunctum poeta suam aetatem quae liberam rempublicam secuta sit, Caesa- 19: Jam vero ab universi carminis indole vel orret, quod Fabricius, Curius, Camillus tamquam οτρόφου exempla memorantur, quorum auctoritate ortitudinis paupertatem esse comprobetur. Quod chriam potius rhetoricam vel ad morum laudatio- nebit, in hoc certe carmine, quo clari viri simpli- antur, nullum prorsus locum habet, sed umbratilem sticam exercitationem redolet.“ p. 20: intelligitur nec s octo versus ab ipso scriptos esse poeta et esse lastico colore ita infectos, ut ab aliquo magistello di gratia male adsuti liquido compareant.“ Vides titer is affirmet, qui nec de Quintiliano et Silio ravit, quorum ille versus 40 sqq. testimonii loco c ex v. 37 repetiit illud: Prodiga gens animae“ ipsum Drakenborchium fugit I. 225 p. 22, non fugit

Bentlejo potius, quem sequuntur **Meinekius** et **Hauptius**, quam cui Peerlkampius suffragatur, Acroni sive Scholiastae Cruq. (qui hujus ordinis suasor: Proeliis audax neque te silebo, Liber" ipsum poetam, non Liberum fecisse proeliis audacem censendus est) assentiendum esse videor confirmare Claudiani loco hocce R. Pros. II. 20: Útraque virgo ruunt: haec tristibus aspera bellis, Haec metuenda feris." Sed a quo nomine haec verba recte separari judicamus, id ipsum vitio natum esse O. Jahnius Herm. III. p. 184 affirmat assentientemque habet Heynemannum de Interpol. p. 19. 45. Qui praescriptae auctoritatis favore tanto ducitur, ut pro Junone jam non nubem, sed nubis simulacrum foveat. Quid enim aliud de eo dicam, qui „Dianae rarius quoddam epitheton, quod per se quoque desideres, sub corrupta voce, quae est Liber, delitescere" Jahnio credidit nec tantum profecit, ut ipse istud rarius vocabulum investigaret investigatumque (id quod etiam difficilius videtur esse) apte collocaret, aut ipsum Cypriae (Petron. Mut. Reip. Rom. 266) nomen praestabilius Dianae cognomine duceret. Quod autem „epitheton per se desiderari" ait, id ipsum mirabilius est, quam quod quidam „de Baccho hic nihil quidquam dici" aegre tulerunt nec animadverterunt „paulo post nihil prorsus de Alcide praedicari, nudum tantummodo nomen poni" (Bentl. v. 21). Idemque quod p. 19 scribit: apparet perperam hunc locum a Libero obtineri, quem poeta si adferre voluisset, cum heroibus potius Alcida Tyndaridisque ex sua consuetudine congregaturus fuerat", et immemorem se arguit ejusdem Bentleji, qui „neminem memorari praeter Jove genitos" docuit v. 19 et „ipsos eos, qui laude fortitudinis bellicae claruerunt" (Ouw. Noctt. Hag. III. 2 p. 359), et ignarum ejus rationis, qua poeta adductus videtur esse, ut duorum heroum mentione defungeretur, ut IV. 5, 34 sq. III. 3, 9 sq. cf. Callim. Lav. Pall. 30, Liberum autem atque Apollinem (cf. LXXXV) eodem ordine haberet: alterum enim licuit dare futurae victoriae sponsorem, alterum partae testem; namque „Phoebum certa sagitta metuendum" apud Actium Augusti hostes expertos esse perhibent (id quod Wernsdorfius Exc. IV ad Eleg. in Obit. Maec. 55 p. 503 T. III. docuit, nos et supra LXIII p. 127 perstrinxi-

mus et in Emendd. Prop. I, 2, qua Propertii versum IV. 6, 67 emendandi copia erit, subtilius exponemus), Bacchus autem „Seras et Indos“ (Sil. XV. 79 cf. Hor. v. 56) domuisse omnium poetarum carminibus fertur.

LXXXVI.

Videamus etiam reliqua. „Post deos, inquit p. 18, heroesque collaudatos viros clarissimos nona stropha praedicare poeta voluit, ut totam rerum Romanarum memoriam usque ad suam aetatem deductam iis nominibus, quibus quasi primariae urbis imperiique ut ita dicam epochae repraesententur, tam plene quam graviter comprehendere videatur.“ Quae quidem ita ab Hauptio disputari ille meminit, nos ita disputata scimus a Buttmanno et Paldamo Actt. ad Antiq. stud. pertin. 1840 p. 1137. Sed plura de ejusdem Hauptii sententia atque auctoritate idem Heynemannus argumentatur p. 18: Tollitur dilucida illa et perfecta epocharum distributio, si post Catonis mentionem ad superiorum temporum memoriam denuo relabitur oratio praesertim ista rudi indigestaque mole exemplorum, quae X et XI strophis temere profunduntur. Imo Catonis nobili leto continuo subjunctam poeta suam aetatem voluit, scilicet quae liberam rempublicam secuta sit, Caesarianam.“ p. 19: Jam vero ab universi carminis indole vel maxime abhorret, quod Fabricius, Curius, Camillus tamquam πενίας κουροτρόφου exempla memorantur, quorum auctoritate parentem fortitudinis paupertatem esse comprobetur. Quod quidem ad chriam potius rhetoricam vel ad morum laudationem pertinebit, in hoc certe carmine, quo clari viri simpliciter laudantur, nullum prorsus locum habet, sed umbratilem ac scholasticam exercitationem redolet.“ p. 20: intelligitur nec posse hos octo versus ab ipso scriptos esse poeta et esse eos scholastico colore ita infectos, ut ab aliquo magistello amplificandi gratia male adsuti liquido compareant.“ Vides quam fortiter is affirmet, qui nec de Quintiliano et Silio commemoravit, quorum ille versus 40 sqq. testimonii loco attulit, hic ex v. 37 repetiit illud: Prodiga gens animae“ (id quod ipsum Drakenborchium fugit I. 225 p. 22, non fugit

Barthium Stat. Theb. VIII. 406 p. 881. Ciofanum Ovid. Am. III. 9, 64 p. 516. Mitscherlichium p. 135), aut de Martiale I. 25, 1 cf. IX. 28, 5 sq. Mitsch. p. 136, nec id, quod in hac causa caput est, indicavit, quo tandem modo fieri potuerit, ut non modo „clara fortium virorum nomina iste magistellus obscuri oribus Scaurorum nominibus contaminaret“ (p. 19), quum (ut concedamus, quod nullo pacto posse concedi infra LXXXVIII docebimus) in promptu Serrani nomen esset: Regulum et Serranum animaeque magnae Prodigum Paullum“ (Dempst. Claudian. Ruf. I. 202 p. 47), sed qui tam eleganter et probabiliter scripserit, ut ipsa Horatii ars deciperetur — testis vel Quintilianus et omnis grammaticorum turba —, idem „nulla carminis consilii ratione habita, nullo temporum ordine conservato promiscue confunderet, quae ab aptissimo singulorum nominum delectu immane quantum discreparent“ (p. 19), aut illud explicavit, quas tantas opportunitates vel illecebras magistellus iste habuisse videatur uberioris cujusdam incrementi accessionem alienissimo loco, ut Heynemannus dicit, adjungendi, non illis carminibus (II. 15, 11. IV. 15, 12), quibus nihil ad fraudem machinandam accommodatius inveniri potuit. Neque enim corruptelarum suspicionibus difficultates recte levasse judicaberis, nisi corruptelarum rationem ad persuasionem apposite aperueris. Nec jam attinet reliqua subtiliore cura convincere, velut illa: „quod insigni referuntur camena Regulus, Scauri, Paullus, Fabricius, hoc adversum totius carminis rationem fit, quam eam esse vidimus, ut omnia quae deinceps nominantur nomina quasi proludant illi, qui solus insigni referatur camena cum domo sua, Augusto. Hic enim fuit ille vir, quem celebrandum Clio sibi sumpserat. — Nec minus a reliquo carmine absona videtur nimia nominum multitudo, qua hic de viris illustribus locus paene abundat. Quatuor enim deos, si Liberum merito expuleris, duos sive tres heroes viri sequuntur decem. Nunc vero octo versibus resectis eadem qua in ceteris selecta paucitate poeta usus apparet. — Quod Fabricius, Curius, Camillus tamquam *πενίας κουροτρόφου* exempla memorantur, in hoc certe carmine, quo clari viri simpliciter laudentur, nullum prorsus locum habet.“ Praestat enim intendi extremae

ejus carminis parti, in qua quae insint iis, quae ante praemuniuntur, egregie respondentia, parum docti homines perspectum habent. Primum enim Parthorum et Indorum domitorum (v. 53 sq.) mentio refertur fortitudinis ad lati (hoc enim v. 57 recte tuentur Bentlejus, Peerlkampius, Hauptius cf. Nonn. XLI 388: Σκῆπτρον ὅλης Αὔγουστος ὅτε χθονὸς ἡνιοχεύει) orbis imperium et pariendum et conservandum maximae praedicationi tot nominibus peractae (cf. Ouw. l. d.), aequitatis autem et parum castorum lucorum mentio (v. 57 sq.) pertinet ad eam curam, qua Augustus „ordinem Rectum evaganti frena licentiae Injecit emovitque culpas Et veteres revocavit artes“ (IV. 15, 10 cf. Claudian. Pr. C. Stil. II. 126), quae praecipua firmamenta reipublicae et tenacissima tranquilli status beataeque pacis (cf. v. 33 sq.) esse cum aliis locis (II. 15, 11. III. 2, 1 sq. 6, 33 sq. IV. l. d.) profitetur Horatius, tum hic iis nominibus testatum facit, quae Catonis, cujus virtus omnibus numeris perfecta (Val. Max. II. 10, 8) fertur, memoriae subjuncta legimus. Deinde quid aptius congruentiusque dici potuit, quam Jovem regnare in coelo si non secunda, at proxima tamen filia Minerva, in terris secundo Caesare (v. 15 sq. 50. 57 sq.), qui et deos Jove patre natos sibi faventes haberet, Apollinem, quem „certa sagitta metuendum“ apud Actium dimicanti adfuisse supra LXXXIV p. 170 diximus, Liberum ipsum Serum et Indorum domitorem, Minervam (cf. Barth. Stat. Theb. VIII. 758 p. 940. Sen. Herc. Fur. 900) Dianamque (cf. Petron. Mut. Reip. Rom. 268. Sen. l. d. 905) et Herculem paciferum (Drak. Sil. II. 483 p. 104) et Castores, qui salutares sunt appellati (Schol. Germanic. p. 68, 6. Reiff. Artemid. II. 37 p. 379. Lob. Aglaoph. p. 1231), beneficiorum magnitudine aequaret (Carm. IV. 5, 34 sq. III. 3, 9 sq.) et quoscunque viros in Romanarum virtutum exempla genitos grata posteritas (v. 39 cf. LXIV p. 127 sq.) mirata est, sua referret praestantia? Eat jam Heynemannus et suae sententiae auctores narret solos scire, quid lupinis aera distent; eat etiam Lehrsius p. XLV. XLVIII dictitetque inconsulte egisse Meinekium, qui versus 37—44 ab Horatio non abjudicaverit, v. 34 autem Tarquinium pro Fabricio nominatum tulerit.

Ergo quidquid praesentissimo deorum favore dignum est

et quidquid decoris fuit et in Jovis filiis, quos humano generi benefecisse fabulae ferunt, et in iis viris, per quos tamquam certissimas verae virtutis effigies rem Romanam crevisse et adolevisse rerum gestarum memoria proditum est, id eluxit in magno Caesare, qui uno Jove minor consultius ab Horatio dicitur, quam a Seneca Herc. Oet. 1881 Alcides non minor ipso — Tonante“ et 1995: Fortius ipso genitore tuo Fulmina mittes“ (cf. Hor. v. 59). Et hercle praeclarissimo is recte censetur ornari judicio, quem nisi per nomina laudesque deorum heroumque et clarissimi cujusque viri eundo non digne celebrare posse poeta videatur.

Optimo autem instituto Horatius, postquam incunabula et incrementa virtutis attigit, gradu per Marcelli et Julii, cognatorum Augusto nominum, famam facto ad summum gloriae cumulum pervenit, magnum Caesarem (Broukh. Prop. II. 1, 26 p. 92). Ut vel hinc appareat, in quanto errore versentur cum alii tum Mitscherlichius et Heynemannus, qui p. 23 „Julium sidus translate gentis Juliae gloriam significare“ putet nec illud non concedat „cometam illam hujus translationis ansam poetae praebuisse videri.“ Quasi vero eleganter faciat, qui haec scribat: gloria Marcellorum crescit, velut arbor; gloria gentis Juliae micat, velut luna“, aut rationis sit in eo loco, qui lunae fulgore minora sidera vincentis comparationem habeat, translatum nomen sidus poni, aut hoc lateat, quod Ouwensio Noctt. Hag. III. 2 p. 360 incompertum fuit, non gentis gloriam sidus, sed ipsos „illustres viros“ (Burm. Claudian. Prob. et Olybr. 146 p. 15) vel „reges principesque“ (Arntz. Plin. Pan. XIX. 1 p. 97) sidera appellari solitos esse Barth. Claudian. VI. Hon. 23 p. 724. Arntz. l. d. Arntz. Mamertin. Grat. Act. 2, 3 p. 660. Valck. Eur. Hipp. 1122 p. 285. add. Nonn. V. 208: *Ἀονίης Πολύδωρον ἑωσφόρον ἀστέρα πάτρης* (cf. Has. Timarion. p. 179 sq.). Plut. Marcell. 30: *πατρίδος ἀστήρ Μάρκελλος*. Epigr. ap. Holsten. Steph. Byz p. 115: *ὅς ῥ᾽ Ἐπιδάμνου Ἄστρον ἔην*. Ovid. Trist. II. 167: tui, sidus juvenile, nepotes.“ Apul. Met. XI. p. 773: viri — vertice praenitentes, magnae religionis terrena sidera.“ Unde qui „siderum clarum decus divum Julium“

cit Valerius Maximus III. 2, 19, idem VI. 9, 15 scripsit: rva igitur summa clarissimum mundi sidus in pira- o myoparone rependi fortuna voluit."

Jam vero faciendum est, ut foedissima, quam illa Julii leris mentio traxit, macula eluatur. Quod enim cum omnes, a Peerlkampio recesseris, tuentur, tum Hāuptio (p. 7) ob- quutus Heynemannus p. 22. 23:

micat **inter omnes**

Julium sidus,

vitii manifestum est quam quod maxime. Sive enim Grae- o et Mitscherlichio das, quod dari nullo pacto potest, inter mnes idem esse atque inter omnes stellas, sive intelligis ros aut „omnes Romanos istos, quos a Romulo inde Hora- us enumeravit" (Peerlk.) aut quattuor (haec enim adver- is Peerlkampium proferre posse sibi visus est Heynemannus 22: quatuor illos viros, Romulum, Pompilium, Tarqui- um, Catonem, utcunque de palma inter sese certent, omnes men Juliae gentis gloria superari disertis verbis poeta di- t"): quid potest inutilius aut absurdius fingi hac sententia: ulium sidus micat inter omnes stellas, velut luna inter inores stellas" aut illa: Julius inter omnes mortales icat velut luna inter minores igne." aut etiam ea, quam eynemannus commentus est: omnium Juliorum (vel uorum pluriumve Juliorum) gloria micat inter quat- ior hos viros, velut luna inter minores ignes?" Quid ro aptius et integrius hoc ordine: tantus nitor Julii sideris it, quantus lunae inter minores ignes fulgentis? Quem or- nem servat Scholiasta Lucan. I. 535 p. 82: omnes stellae int minores ad comparationem lunae, unde Horatius: Micat ilium sidus, velut luna inter minores ignes." Itaque llendum est istud inter omnes, quod tam humile, ut soli etro datum esse videatur", non immerito ait Peerlkampius, lsum esse praeter ea, quae supra attulimus, ea res declarat, iod si Juliae gentis gloriam praedicari statuis, cum Julio iesare magni Caesaris mentio praepostere confusa est, sin sum Julium sumis inter omnes mortales excellere, magnus iesar, qui non omnium virorum modo clarissimus fuit, sed io Jove minor esse dicitur, Julio et jam posthabetur et

posthabendus est, nisi eum, qui „ordine generis proximus Julio fuit“ (Auson. Eclog. Dist. de Mens. 16), addas Soli similem habitum esse (Wernsd. Him. Ecl. XII. p. 201); nam Ouwensium omitto „Augustum ipsum potius, quam Julium Caesarem v. 47 intelligendum esse“ ratum Noctt. Hag. l. d. p. 360. Detecto autem fraudis vetustate antiquissimae cubili in promptu est veri investigatio. Emergit enim librariorum imperitia accidisse, ut ones fieret omnes (de quo erroris genere pluribus explicatum a nobis est Anal. Prop. X. p. 64), syllabae en di autem verterent in vocem inter (cf. et Valg. p. 431 et Sin. V. p. 90. Emendd. Hor. I. VIII. XXXII):

micat **en Diones**
Julium sidus.

Quo orationis genere usus, qui Caesaris laudes praeteriri non pateretur, Horatius aptissime commonefecit ejus temporis, quo per septem dies continuos fulsit ea stella „qua significari vulgus credidit Caesaris animam inter deorum immortalium numina receptam“ (Plin. N. H. II. 25, 23). Quam stellam propterea, quod „Venus Julium jubar fecisse“ dicitur (Ovid. Met. XV. 841 cf. Plin. l. d. Jul. Obseq. 128), ut aliis Dionaeum Caesaris astrum sive Idalium astrum (Cerd. Virg. Aen. VIII. 681 p. 264. D. Broukh. Prop. IV. 6, 59 p. 433), ita Horatio appellare licuit Diones Julium sidus (cf. Anal. Prop. II. p. 13). Quoniam autem „sidus illud oriebatur circa undecimam horam die („die medio — amplissimum“ Serv. Virg. Ecl. IX. 47) clarumque et omnibus e terris conspicuum fuit“ (Plin. l. d.), tantum ejus nitorem fuisse, quantus soleret esse lunae inter minora sidera fulgentis (Epod. XV. 1. Schol. Lucan. l. d. Burm. Virg. Aen. II. 154 p. 222. Avien. Arat. Phaen. 940: dea flammas superante minores. Boeth. Cons. Phil. I. Metr. 5, 7: Condat stellas luna minores“), non commode magis, quam usitate poeta scripsit: documento sunt et Ovidius Trist. V. 3, 41: Sic micet aeternum vicinaque sidera vincat Conjugis in coelo Cressa corona tuae“ et praeter eos, quos testes dederunt Barthius Claudian. Nupt. Hon. 245 p. 838 sqq. Broukhusius Tib. III. 4, 29 p. 318. Schraderus Animadv. ad Mus. VII. p. 172 sq. Mitscherlichius p. 137. Boissonadius Nicet. Eugenian. VI. 416 p. 319, Nicephorus Greg.

III. 7 p. 324, 15: μόνον δ' ἐξ ἁπάντων σέ κρατίστην εἰκόνα ύσεως ἐξαπέφηνε κράτιστα ἡρμοσμένην, οἷα δὴ καὶ σελήνην ν ἀστράσι καὶ ζώπυρον ἐν κρυμῷ καὶ χειμῶνι et Demetrius ερὶ ἑρμην. CXLVI p. 68, 3: Πέῤῥοχος ὥσπερ ἡ σελήνη τῶν λλων ἄστρων ἢ ὁ ἥλιος λαμπρότερος. Quam rem parum ɜrspexit Peerlkampius haec argumentatus: quomodo hoc Juım sidus medio die visum, quod Romani numquam iterum dere, micare poterat inter omnes stellas, quae nocte in ›elo fulgent?" Eundemque fugit, quum in perennibus stellis ›metas numerari neget Plinius, tamen non Ovidium solum d.: Fac jubar, ut semper Capitolia nostra forumque Divus › excelsa prospectet Julius aede" cf. Pont. II. 2, 86), sed iam Propertium et Ausonium ll. dd. Julium, qui deus haberi ›eptus esset, referre „aeternum decus stellis insertum" (Hor. I. 25, 5) cf. Beger. Thes. Brand. I. p. 118. Denique mirari ıbiit ista: inter omnes" eundem non fecisse meliora hac ›njectura: micat in triones" (ut Avien. Arat. Phaen. 384: ɜminas micat ardor in auras" cf. Manil. I. 351: equus — nitur in Andromedam"); nam „sidus crinitum per septem .es in regione coeli, quae sub septentrionibus est, ›nspectum" prodidit ipse Augustus ap. Plin. l. d.

LXXXVII.

Non minorem versus 46:

Crescit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli

raebet disceptandi materiam. Quem versum „expeditiorem ɜddidisse pro Marcelli corrigens Marcellis Peerlkampius" idetur Heynemanno nimirum Meinekium Hauptiumque et Lehr.um p. XLIX, quos non nominavit, sequuto atque hac deıncto explicatione p. 23: „ipse Peerlkampius interpolatricem anum a se castigatam esse voluit, nos et hanc scripturam : totam stropham Horatio vindicamus. Quamquam non diffimur imaginem arboris occulto aevo crescentis paullo ıse obscuriorem necdum a quoquam satis explicatam. Unierse tamen id exprimere poeta voluit crescere atque ıgeri quotidie magis veterem famam Marcellorum. Re-

spicit autem Marcellum adolescentem, quem destinatum Augusti successorem gloriae a patribus acceptae nova incrementa additurum esse vaticinatur. Et crescendi quidem verbo eam quam significavi potestatem inesse et res ipsa et multa docent exempla velut quae Peerlkampius recitat Propertii IV. 1, 34 et Horatii III. 30, 8. Restat autem quod diligentius expendas illud occulto aevo. De quo vide Bentlejum, ad cujus explicationem haec nostra quam maxime accedit." Scilicet hoc est aliena doctrina perfrui atque optare, non docere et cognitionem disceptationemque perquirere eorum, quae opinando protulerunt Bentlejus: „Marcelli quinquies consulis seri nepotes cum in familiam Juliam adsciti fuerint, dat Horatius hic Augusto, ut ejus famam superstitem in dies florere dicat" et Mitscherlichius: „M. Marcellum juvenem — haud dubium Augusti successorem — adsociat — cujus laudes ac virtutes continuo augentur — non animadversis incrementi temporibus et momentis i. e. sensim et occulte." Quod autem „Marcellis, quo tacite significatur etiam Marcellus adolescens, eleganter dictum" iis, quos nominavi, videtur: quid magis pugnat, quam Marcellorum famam sermone hominum crescentem comparari arbori occulto sive aevo sive, ut ajunt Heinsius et Wakefieldus Lucret. I. 315 p. 74, arvo crescenti? quid alienius, quam spem surgentis Marcelli, in quo jam certa et deformata virtutum documenta apparerent, conferri ad amplificandam famam veteris Marcelli? Quam spem, si quid mei judicii est, ostendi oportuit aut ita, ut Marcelli veteris virtus diceretur quasi quaedam arbor occulto aevo adolevisse atque in singularem, quae in Marcello, futuro Augusti successore, eluxit, praestantiam excrevisse, aut ita, ut juvenem „immensum spe tollere avos" (Virg. Aen. VI. 877) id est „erigere gentis antiquitatem" (Serv.) fere hoc modo significaretur: Crescit occulto velut arbor aevo Stemma Marcelli (Marcellum)" id est „nobilitas Marcellorum crescit" (Barth. Stat. Silv. IV. 6, 88 p. 405. Rutil. It. I. 169: Qui Volusi antiquo derivat stemmate nomen." Juven. VIII. 40: tumes alto Drusorum stemmate." Auson. Grat. Act. 11: nec deductum ab heroibus genus ad deorum stemma replicare").

Verum nec hoc ipsum satis placet et quaedam majora molienda sunt. Ac primum quidem tantum abesse arbitror, ut, id quod supra LXXXVI p. 174 perstrinximus, Marcelli vel Marcellorum famae vel stemmati recte subnecti videatur Caesaris sidus, ut memoratum aliquid fuisse existimem, quod ante Caesarem inter deos receptum acciderit simile Fabricii et Curii ac Camilli facinoribus, idque ipsum non minus significanter ornateque indicatum, quam singulare ac divinum Julii decus. Itaque hoc contendo famam male successisse voci palma. Quod factum est et in iis Ovidii et Martialis locis, quos composuit Burmannus Ovid. A. A. I. 727 p. 593, et apud Gualtherum Alex. IV. 366: minuat versutia palmam": sic enim verba, quae in Mueldeneri exemplo leguntur in hunc modum scripta: versutia famam" emendandi potestatem facit is codex, cujus duo folia penes me sunt (qui idem codex in versu 358: Candorem famae fuligine labis Obscurare queat" rectius hoc tenet: Obfuscare queat" cf. Conject. Stat. XIX. p. 270. Manil. IV. 532). Ut autem Marcelli, qui ipse palma dicitur a Manilio I. 785, palmam fingere, quam stemma vel stirpem loqui mallet Horatius, fecisse videtur gratissima ejus palmae recordatio, ex qua enata suboles fertur laetissimum illud omen futuri penes Augustum imperii: namque „apud Mundam D. Julius castris locum capiens cum silvam caederet, arborem palmae repertam conservari ut omen victoriae jussit: ex ea continuo enata suboles adeo in paucis diebus adolevit, ut non aequipararet modo matricem, verum etiam obtegeret frequentareturque columbarum nidis" Suet. Aug. XCIV (quem locum et Paschalius Coron. VI. 20 p. 411 omisit et Freinshemius Liv. Suppl. CXV. 64 p. 215 Vol. XIV *). Qualem autem Marcelli palmam esse Horatius dixerit, penitus latet. Nihil enim explicatum est ab Acrone et Porphyrione, qui arborem occulto aevo crescentem intelligi volunt eam, cujus „incrementa nisi posteaquam creverint non videantur" (p. 47, 12) „quae crescat aevo occulte procedente" (p. 50, 11), quasi sit, ubi tempus non „occulte labatur" (Ovid. Am.

*) Dignus is Suetonii locus est, qui cum Horatii loco I. 2, 10: ulmo, Nota quae sedes fuerat columbis" comparetur. Et comparavit Bochartus II. Hieroz. I. 3 p. 18 sq.

l. 8, 49 et Met. X. 519) aut viri fastorum memoria celebratissimi palma par haberi possit arbori senectae „longis interminae saeclis“ (Prudent. c. Symm. II. 106) numine sacrae (Stat. Theb. VI. 93) sive „per aevum sacrae“ (Sil. X. 167) id est „saeclis innumerabilibus“, quibus fore ut canescat quercus Mariana sperat Cicero Legg. I. 1, 2. Nec doctorum hominum cura aut subtilitate ullus locus erutus est, ex quo intelligeretur apte aut usitate dici vel occultum aevum vel occultum arvum, quod ab Heinsio excogitatum quis non videt multum differre cum iis, quae in similibus locis leguntur Homeri Il. XVII. 53: χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ. Nuc. Eleg. 87: secreto quae nata est arbor in arvo (cf. Tib. IV. 13, 9: secretis — silvis. Lennep. Animadv. ad Colluth. I. 7 p. 31). Propertii I. 2, 11: Surgat et in solis formosius arbutus antris“ et quorum nullam Bentlejus habuit rationem, Catulli 62, 39: Ut flos in septis secretus nascitur hortis. 49: Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo“ et Lucani I. 136: Qualis frugifero quercus sublimis in agro“ cf. Hom. Il. XVIII. 57: φυτὸν ὣς γουνῷ ἀλωῆς? Nam qui agri vere intelligantur occulti, Lucanus declarat hoc exemplo IV. 92: non pabula mersi Ulla ferunt sulci: tectarum errore viarum Fallitur occultis sparsus populator in agris“; de aevo occulto existimatur ex Prudentii versu, quem attulit Bentlejus, Hamartig. 177: Qui, velut aeterna latitans sub nocte, retrorsum Vixerit et tecto semper regnaverit aevo“, ut manifesto errore, id quod iterum inculcandum est, ii teneantur, qui Marcelli ejus, cujus victorias ab omnibus rerum gestarum scriptoribus praedicari constat, famam similem esse narrent arbori „tam vetustae, ut ejus anni ignorentur“, narrent autem ne hoc quidem intelligentia assequuti hac utique mutatione opus fuisse: Crevit occulto velut arbor aevo.“ Itaque quum neutrius Marcelli fama aut virtus in abdito arvo adoleverit aut „latenter“ (Serv. Virg. Ecl. X. 74) creverit, posterioris laus in exculto potius arvo vel horto (Columell. X. 424) crevisse videatur, ipsae arbores autem recte dicantur aut occulto auctu crescere (ut Virg. Georg. I. 86: occultas vires. Stat. Theb. IX. 449 tacitas vires et Lucret. VI. 168: arboris auctu. Burm. Anth. Lat. III. 120 5,

p. 577. Lucan. IX. 797) aut aevo ingenti (Stat. Silv. II. 3, 63), aevo longo (Heins. Ovid. A. A. III. 657 p. 701. Hor. Epist. II. 1, 159. Manil. I. 731. Lucan. III. 399. Sil. XIV. 79. VI. 546. Sen. Agam. 102. Germanic. Phaen. 433. Avien. 928 cf. D. O. 1258 — nam Silium I. 26: alta vetustas. Ovidium Pont. III. 1, 115 prisca cf. Fast. I. 197 afferri vetat ea ipsa, quae modo indicata est, res, quod arbor hic dicitur crescere, non crevisse —): his igitur de causis nulla apud me relinquitur dubitatio, quin vox occulto librariorum fraude genita sit, correctione autem adhibita ea, quam in promptu habemus (vid. XLVII cf. Ovid. Met. IX. 226. XI. 150 alte. al. alto), vere in duo illa dirimatur, quibus simul et majus quoddam arboris incrementum ostendi et honor Marcelli „in altum spe avos tollentis“ (Virg. Aen. VI. 876) non obscure indicari videatur: Crescit ecce alte — Palma Marcelli“, ut apud Stat. Theb. VII. 816: ecce alte humus — Dissilit“ atque apud Silium I. 401 alte insurgit“ Pliniumque Ep. VIII. 4, 3: altissime assurgit“ et Lucanum IV. 649: sustulit alte cf. Orph. fr. XL: Ζῶον δ' ἴσον ἀκροκόμοισι Φοινίκων ἔρνεσσι. Paschal. Coron. VI. 20 p. 410. Lob. de Mort. Bacch. I. p. 5 sive Aglaoph. p. 513: minus enim hoc placet: ecce alti — Palma Marcelli“, ut Hor. Sat. II. 5, 62. Heins. Ovid. Fast. IV. 305 p. 255 sq. Broukh. Prop. II. 1, 26 p. 92. Serv. Virg. Aen. IX. 697. Huic autem fraudi indagandae opportunus fuit alter ille scrupulus, quem nobis injecit vox velut et bis deinceps et in eadem versus sede posita: „velut arbor aevo. velut inter ignes.“ Quem scrupulum levare in expedito fuit recordanti parum interesse inter velud (Barth. Stat. Theb. II. 411 p. 492 cf. Wernsd. Avien. D. O. 933 p. 831) et valid. Nam cumulate sententiae satisfecisse judicabitur, qui palmam Marcelli scripserit esse arborem ut „senecta admirabili“ (Val. Max. VIII. 13. ext. 1) venerandam, ita tam validam, ut etiamnum crescat atque laetissimum illud germen exserat, quo „majorem alumnum Romula tellus numquam jactasse“ dicitur a Virgilio Aen. VI. 877. Frank. Fast. Hor. p. 63 sq. Aevo valida autem, ut Aurel. Vict. Caes. 16, 14: aevi validior (quemadmodum apud alios integer aevo, apud alios est integer aevi Burm. Anth. Lat. II. 120, 5 p. 283) cf. Virg. Aen. IV. 441: an-

nosa validam — robore quercum. Stat. Theb. IV. 419. Ergo pristinum ejus loci statum nobis persuasimus fuisse hunc:

Crescit **ecce alte, valida** arbor aevo,
Palma Marcelli.

LXXXVIII.

Quod de ejusdem carminis versu 43:

incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit et Camillum
Saeva paupertas

Acro p. 47, 10 praecepit et Scholiasta Cruq. p. 34: saeva magna" cf. Serv. Virg. Aen. I. 4 p. 6. 99 p. 26. 138 p. 32, id et alii vehementer improbarunt et Cortius Lucan. I. 165 p. 55, cui „genuina scriptura videtur esse, quam in Ms. Vinar. reperit: scaeva paupertas." Quanto et consideratius et elegantius Bentlejus: Sic mallem, si per libros liceret: sancta paupertas, ut Silius: casta paupertas." Quod arripuit Lehrsius p. XLVIII. Longe alio nostrum inclinat judicium. Sic enim statuimus, quod in multis locis (I p. 2), idem hic a librariis erratum esse. Quid enim magis consentaneum fuit, quam ut eorum, qui avitum fundum (paternum agrum Heins. Claudian. Epigr. II. 1 p. 687. Mitsch. Epod. II. 3 p. 485. Claudian. Pr. C. Stil. II. 119. Quintil. Decl. XIII. 2 p. 271: paternus agellus sane angustus et pauper") industrie colerent" (Columell. I. praef. 14) et „forti labore perdomarent" (Quintil. l. d. p. 272), paupertas diceretur aut strenua, ut ab Apulejo Apol. p. 434, aut gnava?

Utilem bello tulit et Camillum
Gnava paupertas.

Ut apud Ovidium et Silium gnava juventa Heins. Ovid. Trist. V. 3, 37 p. 666, apud eundem Silium VII. 350 gnavus timor. 549 gnava rudimenta. Cf. Juvenal. VI. 288: nec vitiis contingi parva sinebant Tecta labor somnique breves."

Atque hic reddam, quod supra LXXXVI p. 172 promisi: In explicando enim versu 37:

Regulum et Scauros animaeque magnae
Prodigum Paullum superante Poeno
Gratus insigni referam Camena
Fabriciumque.

vix dici potest quam leviter docti homines versati sint. Namque qui „clara fortium virorum nomina obscuriore Scaurorum nomine contaminata esse“ nuper audacter pronuntiavit Heynemannus p. 19 et (vel latini sermonis lege turpiter contaminata) p. 36 vers. 35, non circumspectior Lehrsio ita in maligna Peerlkampii disputatione doctrinaque acquievit, ut nec hoc cognosceret et perciperet in Reguli et Paulli comparationem eum evectum esse, qui et „lumen ac decus patriae“ habitus sit (Val. Max. V. 8, 4 cf. IV. 4, 11. VIII. 1, 10. Cic. Epist. I. 9, 38: vir singularis“) et „corpus ultima senectute confectum armis induerit, ne respublica exspiraret“ (Val. Max. III. 2, 18) et „filium deformis fugae reum gladio adversus semet ipsum uti coegerit“ (V. 8, 4. Oud. Frontin. IV. 1, 13 p. 413), nec praeclari illius rationem haberet judicii, quo Scauros ornavit et Juvenalis XI. 91: Curius, parvo quae legerat horto, Ipse focis brevibus ponebat oluscula. — Quum tremerent — Fabios durumque Catonem Et Scauros et Fabricios, postremo severos Censoris mores etiam conlega timeret“ et Valerius Maximus IV. 4, 11: modica fortuna — ut non abundantibus, ita fidis uberibus Publicolas, Aemilios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros iisque paria robora aluit“ cf. Ascon. Argum. Cic. Or. pro Scaur. p. 5 sq. Heinr. Quae testimonia cum Horatii oratione egregie convenientia vix credibile est cum omnes tum Niebuhrium habuisse incomperta.

LXXXIX.

In carmine I. 15 omissa nomina Philoctetae, Menelai, Ajacis Telamonii, quae constat Paridi maxime fatalia fuisse, ea autem, quae versus 21 sqq. habent, sine ullo delectu proposita tam graviter tulerunt O. Jahnius Herm. III. 2 p. 184 et Lehrsius p. XLIX sq., ut Horatio indignum id carmen cense-

rent. Qui videri possent aliquid dixisse, si illud probabili ratione explicassent, quo tandem pacto fieri potuisse videretur, ut falsus iste, quem animo informarunt viri doctissimi, Horatius iis rebus, quae fabularum consensu contestatae maxime in promptu essent, abjectis et neglectis reconditiora quaedam proferret et ad intelligendum subdifficilia. Quale est, ut exemplo utar, ipsum illud, quod Lehrsius negat ferri posse v. 12:

Jam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.

Scilicet is eorum, quae Mitscherlichius non attulit in medium, ipse ignarus non perspexit deam hic describi illa ira irritatam, qua *Γιγαντοφόντις* (Spec. Emendd. Prop. IX. p. 21) Enceladum protriverat Pausan. VIII. 47, 1: *γενομένης τοῖς θεοῖς πρὸς Γίγαντας μάχης ἐπήλασεν Ἐγκελάδῳ ἵππων τὸ ἅρμα* et Callim. Lav. Pall. 6 sq. cf. Spanhem. p. 538. Schneidew. Eustath. Pind. Prooem. p. 20. Quem eundem quid mirum nihil ex ipsa Nerei mentione (Meurs. Lycophr. 115 p. 135) suspicatum esse de vaticinio (v. 3) ante Cranaen, insulam Ceo, Bacchylidis (Mitsch. p. 161 sq.) patriae, vicinam, subitam illam Idaei pastoris propter ventorum segnitiem stationem edito (Plut. de Vit. et Poes. Hom. 7 p. 479. Olear. Philostr. Ep. 42 p. 119. Eckh. D. N. II. p. 226. Bachm. Lycophr. 110 p. 33)? Habeamus igitur sarta tecta ea nomina, quibus in similibus sententiis locum factum videmus IV. 9, 17: Non — primus Teucer tela Cydonio Direxit arcu — non pugnavit ingens Idomeneus Sthenelusque solus Dicenda Musis proelia" et I. 6, 14: pulvere Troico Nigrum Merionen aut ope Palladis Tydiden superis parem", idque eo magis, quod satis dilucet hoc poetam sequutum esse, ut conjuratam omnem Graeciam (v. 6 sq. Stat. Achill. I. 35) ipsis iis regibus, quos Paridis injuria maxime irritatos „sua bella capessivisse" (Stat. l. d. 466) nemini obscurum esset, omissis luculenter monstraret mentione et Ulixis Nestorisque, qui consilio non modo perfidi pastoris temeritatem compescuisse, sed etiam ipsius Trojae opes refregisse narrarentur, et eorum, qui manu fortes sive duces sive milites „terras viros militares dare aptas" (Sen. Tro. 816) testarentur esse et insulas,

ut Cretam, quae nunc Idomeneo, nunc Meriona cive censetur (Meurs. Cret. III. 4 p. 140 sq. Ovid. Met. XIII. 358), ac Salaminem Teucro inclytam, et continentem terram, in qua media sita fuerunt regna illa Stheneli et Diomedis. Omnem autem Graeciae longitudinem apparet planissime definiri nominibus Ithacae et Cretae, Pyli et Salaminis, Argorum Troezenisque et Opuntis. Quid, quod ne illud quidem suspicari alienum est: eum, quem cernimus, a Romano poeta habitum esse delectum, quod rerum Romanarum memoriae adjunctiores ducerentur primum ii, qui in Siciliam (Wess. Diod. IV. p. 323, 37) et Italiam concessisse perhibentur, Meriones (cujus honori fortasse erit qui dedita opera a Bacchylide, Siculi regis hospite, consultum fuisse arbitretur) et, qui Philocteta et Idomeneo, ipsis Italicarum urbium conditoribus, illustrior merito cum aliis, ut Avieno D. O. 650, tum Venusino poetae visus est, Diomedes; deinde ii, quorum fama insulis Cypro et Creta a Catone et Metello receptis redintegrata increbruisset, Teucer et, quem modo diximus, Meriones; postremo qui Aeneae equis curruque (cf. Hor. v. 25 sq.) potitus esse poetarum carminibus ferretur, Sthenelus?

Adjiciendum his, quod qui „ad carmen hoc respexisse Quintilianum III. 7, 19“ ait, Mitscherlichius p. 162 praeteriit: ex ea parte (v. 28), quae Stheneli Merionaeque et Diomedis mentionem habet, repetisse haec Ausonium Epitaph. Her. VI: genitore bono melior Diomedes“, Statium autem, id quod non fugit Barthium p. 1675, haec Achill. I. 468: quamquam — famam avidi virtute paternam Tydides Sthenelusque premant.“ Quid? illud, quod v. 21 sq. auctoritate maxime Bentleji Meinekiique et Hauptii jam alteri illi, quod codices praebent: num, praevaluit:

> Non Laertiaden, exitium tuae
> Genti, non Pylium Nestora respicis?

nonne ipsa Lucani comparatione VIII. 441: quin respicis orbem Romanum?“ argui videtur eo vitii genere affectum, de quo I dici coeptum est? His autem:

> Quin Laertiaden, exitium tuae
> Genti, quin Pylium Nestora respicis?

similia extant cum multa, quae sunt apud Heinsium Ovid. Am. II. 19, 59 p. 462. Cortium Lucan. II. 319 p. 242. Drakenborchium Liv. IX. 10, 7 p. 87. Oudendorpium Apul. Met. III. p. 181, tum illa Epod. VI. 3: Quin huc inanes, si potes, vertis minas?" et Sen. Herc. Fur. 1216: Quin — Cruore corpus impio sparsum cremo?"

Perventum est ad calcem praestitutam: nam et impetum commentaria ejus, qui nuperrime Horatii sector verius, quam lector extitit, cursim percensendi ipso feriarum Paschalium exitu fractum piget resumere et satis est hac qualicunque emendationum centuria quasi quadam velitatione si non aperuisse, at monstrasse tamen viam adversus tot doctos (omnes autem nominare nolui) contendendi, qui a Bentleji exemplo saluberrimo non gradu, sed praecipiti cursu desciverunt mirabilique consensu ad eorum partes se applicarunt, qui quae ipsi expedire aut explorare nequirent, ea Horatio erepta commenticio cuidam imperitissimorum interpolatorum (sic enim vocant) generi transcriberent. Faciendum enim jam est, quod et per se modestius ac reverentius est et huic tempori maxime congruit, quo tempore multi reperiuntur, qui in aestimandis veterum monumentis versati non perspiciant saepe id totum tolli, cujus quaedam partes excerpantur. Hoc dico: quae immoderata praescriptarum auctoritatum studium favorque atque arbitrii licentia, non necessitas fecerit, iis jam tandem modum imponendum esse omnique ope experiendum, si libidini, postquam unum versum abolendum Bentlejus censuit (vid. XXXVI), tam longe et late, interdum neglectis perspicuis veterum scriptorum testimoniis (VI. IX p. 18. LVIII. LXXXIX), evagatae, ut per eorum, qui Peerlkampii et doctrinae subtilitate et judicii elegantia longe superioris auctoritatem praetendunt, devia incepta jam periculum sit, ne poetae in suo genere singularis carmina discerpantur et lacerentur prope omnia, sic vere possit obviam iri, si rectae doctrinae studiosissimus quisque acerrima veteres scriptores legendi cura et

eo quaerendi labore, quem nunc fastidio habere plerique coeperunt (cf. LXII sq. XL sqq. LV. LXXIII. LXXXII sqq. LXXXVI p. 171. LXXXVIII sq. XXXV), ostendat atque edoceat insedisse in Horatii carminibus vitia et doctorum hominum opinione longe plura et Porphyrionis Priscianique et si quorum similem operam novimus, aetate vetustiora (vid. I. XLVI. LXXXIII sqq.), labem autem multiplicem in ea carmina fluxisse ex iis, quae tum grammatici interpretandi vel comparandi gratia adscripsisse consuevissent (vid XXIV. I p. 2. XVIII p. 34. XX—XXX. Add. XXVII p. 189. XXXVII sq. L. VIII. XII p. 36) tum librarii vel leviter (I p. 2. XX. LXVI. XLV. LXXXVIII sq. IX.) vel imperite (XXXII—XXXVI. XIV sqq. XLII. LXVII sq. LXXXVI p. 176) vel praepostere (XI sq. XLVI) consignasse videantur. Et haec quidem fraudum cubilia non temere indagasse visus sum, postquam ea repetii et quodammodo congregavi, quae Lehrsii librum perlustranti singula occurrerant obvia et illaborata cf. p. 189 (Add. XXVII p. 46, 9), p. 191 (Add. LXXV p. 145, 37). Quae quidem tum, quum pauci in manibus essent libri, in vacua tabella, in qua libera adjicienti esset excursio (adjeci autem eos locos, de quibus alias dicere institueram), stilo quam velocissimo notata jam paulo diligentius explicata ea tamen festinandi voluptate, quum praesertim pietatis officium jure quodam sacrosancti fenoris exsequendum stimulos adderet, in medium protuli, ut venia petenda sit, si quid aut occupatum ab aliis dixi aut cognitu minime indignum praetermisi aut imperfecte vel, dum pro Horatio dicentem nimius fervor agit, asperius disputavi. Quodsi quid veri a nobis expromptum est aut certe hoc aliquo modo cautum, ne verba aut vilia et vix librariis digna gravibus et integris sufficiendo (cf. XLI p. 76. LXIII p. 123 al.) aut nullo auctore dicta (II. IV p. 11. V sq. IX. XVIII. XXXVII. XLIII. XLVI. XLVIII. LIV) vel metricorum praeceptis repugnantia (I p. 2. VIII. XXI. XXVI p. 43. 44. Add. XXVII p. 46, 9. XXXII. XXXVI. XXXVII. LXVII. LXXIII. Add. LXXV p. 145, 37. LXXVI) retinendo antiquae orationis dignitas deteratur, id grato animo profitemur assignandum esse ipsi ejus libri, quem ad sollicitanda doctorum studia instructissimum fors objecerat, lectioni atque ei, quam aliena audacia fecerat,

calori si non docendi, at monendi docturos, quid Horatius scripserit: tu quidem, lector, si aequus es (Casauboni enim verbis jam uti licet) factum nostrum, etiamsi quid a nobis in hoc negotio admissum fuerit, bene interpretaberis. Quodsi aut ab ingenio aut ab otio aut a libris melius es instructus, age curriculum ingredere: nos quidem superari in hoc certamine adeo non moleste ferimus, ut etiam optemus.

Halis Saxonum D. XIV. M. Jun. A. MDCCCLXXI.

ADDENDA.

3. Ovid. — cf. Cic. Arat. fr. XXXII. 34 p. 10.
4. Anth. Lat. II. 72, 5: quamvis non vitae, at plenus honoris" cf. Cort. Lucan. VIII. 773 p. 387.
1. lapidum jactus Apul. — ictus Tac. Ann. I. 27. Schulting. Quintil. Decl. I. 10 p. 28 sq.
4. Quae de usu verbi velle adjicere hic nescio quo casu nos fugit, ea reddidimus infra LXXXIII not. p. 166.
4. nuncque (id est nunc quoque, quemadmodum hodieque)" Schoemannus Opusc. IV. p. 283, de quo me certiorem fecit Dryander meus.
9. Stat. Ecl. — p. 93. Gron. Sen. Herc. Fur. 259 p. 22.
5. incita, ut in iis locis, quos attulit Gronovius Sen. Herc. Fur. 100 p. 10.
9. Alius fortasse dicet rectius his locis intendi Sen. Thyest. 48: non sit a vestris malis Immune coelum." 94: ne sacra manus violate caede neve furiali malo Aspergite aras."
1. Postremo cf. Sen. Herc. Fur. 870: tibi crescit omne —, Mors", quem locum perstrinxit Schneiderus Ind. Scriptt. R. Rust. p. 159.
9. Verum multa molitus jam intellexi eam, quam ingressus sum veterem errorem corrigendi, rationem tenenti tamen brevius ad restituendam verborum integritatem patere compendium. Interposito enim Claudiani loco L. Seren. 164: dubii discrimina leti", in quo hoc: certamina suffectum in inc. cod. Heins. video, quid vetat ejus, de quo quaestio est, versus edicere statum hunc:

   Spectandus in discrimine Martio?

Ut apud Lucanum est IV. 770: nullo dubii discrimine Martis Ancipites steterunt casus." Burm. Val. Flacc. VI. 545 p. 554. Cort. Lucan. II. 599 p. 287. Wopk. Sedul. IV. 137 p. 189 sq.

P. 49, 13. Scr. quam multa.

52, 4. Contra Sen. Thyest. 732: Silva jubatus qualis Armenia leo In caede multa victor armento incubat."

24. post animam Sidon. Apollin. Carm. V. 254.

57, 6. Ceterum qui improbavit veros timores, Lehrsius parum reputavit hoc dici: mentem in Mareoticum ritum lymphatam (sive memor vocis volantem mavis: lymphatae) egit in plenos timores (Barth. Claudian. B. Gild. 6 p. 365 et R. Pros. I. 129 p. 889), ut Stat. Achill. I. 642: toto pectore veros Admovet amplexus" et Sen. Thyest. 1097: Nunc parta vera est palma" ac Quintil. X. 1, 94: multum et verae gloriae meruit"; his enim locis videmur rectius uti, quam iis, quos attulit Peerlkampius aut Juretus Symmach. Ep. I. 25 p. 24.

61, 29. Utriusque libri Richardus Schoene humanissime et admonuit et potestatem fecit.

67, 20. Stat. Ecl. ult. p. 142. Manil. IV. 53: Cum jam etiam."

70, 15. Stat. Theb. VII. 698: Funus erat. Barthii duo codd. eat.

77, 21. Sen. Thyest. 747: Sceleris hunc finem putas? Gradus est. — 32. Apud Claudianum R. Pros. III. 41 est: pleno rimatur lumine campos."

92, 26. Sen. Herc. Fur. 882: Pax est Herculea manu Auroram inter et Hesperum."

119, 23. siris Heins. — Drak. Liv. I. 32, 7.

124, 3. Quamquam Curtii locus hic IV. 17, 4: bellua modo super undas eminens magna sui parte, modo superfusis fluctibus condita" aperte declarat falso proditum esse istud: superjecto aequore natarunt."

125, 20. Ceterum quaeri potest, an scribi praestet timide, ut Sen. Herc. F. 417: pertuli intrepide omnia."

143, 3. et Thyest. 358: Quem non concutiet cadens Obliqui via fulminis."

15, 35. mare onium, ut Isidor. XIV. 4, 11 p. 442 codd. Guelph. Eonia. Jonia. Claudian. L. Seren. 114. Eoum. Vat. tert. Flor. Med. Jonium. Nupt. Hon. 49 Jonium. Vat. pr. Pal. Eoum cf. Ovid. Met. XIII. 682 Boxh. Oniis. Adnot. ad Stat. Ecl. ult. 86 p. 147. Sed ne hic quidem (fatendum est enim) conjectandi finis est. Neque enim huic dubitationi par esse possum, quo tandem pacto acciderit, ut istud, quod posui: onium, librarii ad haec potius vocabula ponticum, punicum, apulicum, publicum mallent deducere, quam ad Jonium, quod in plurimis locis cum Tyrrheno mari compositum esse nemo ignoraret. Itaque quanto praestabiliorem vocem molibus duxi esse voce linteis, tanto deterius esse nomen Jonium jam affirmo nomine minus usitato, cui Siculi maris mentionem posthabuisse Horatius videatur. Nimirum in mira doctorum hominum desidia multi circa unam rem circuitus faciendi fuerunt, donec plane intelligerem permutatis litteris b et p (ut in codice Basil. 2 Sallust. Cat. 42, 1 est prucia cf. Claudian. B. Gild. 159 Barce. Lovan. Bonon. Pat. Ambros. Parce. Emendd. Hor. LXXVII p. 149) ponticum factum esse (cf. Conj. Stat. IV. p. 174), quod fuerat Βρόντιοι Schell. Dionys. Perieg. 362, punicum (Stat. Conj. XVII p. 235), quod brucium (ut est brucia in codd. Cort. Sallust. l. d. Columell. XII. 18, 17 cf. Britiae Veget. Art. Vet. VI. 14, 1. Britini Frontin. de Colon. p. 109. Brintio codd. Sall. l. d. Vricius Ven. Avien. D. O. 505), publicum (Valg. p. 461 sq.), pulicum, quod prutium (Plin. N. H. III. 1, 1 Ricc. pr. m. Brutlinium. Emendd. Hor. LXXVII p. 149) vel prucium (Adn. Stat. Ecl. ult. 14 p. 26 et Conj. III. p. 166):

Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare **Bruttium**.

Suffragatur autem ei conjecturae Seneca, Thyest. 578: Brutium Coro feriente pontum" et Herc.

Oet. 650: Brutia Coro Pulsante fretum mitior unda est" cf. Pompon. Mel. II. 4 p. 37, 57 Voss.

P. 154, 36. Ut dissimilis ostendi videatur natura Scamandri et Simoentis (quem ipsum καλλίρροον dixit Quintus XI. 246) cf. Anal. Prop. V. p. 34. Add. Ovid. Am. III. 6, 81. Fast. IV. 337. Boeth. II. Metr. V. 11: Potum quoque (dabat) lubricus amnis."

169, 6. cf. Paulin. Nol. ad Nicet. p. 854. A: Inde jam terris subeunte ponto Hadriae stratus sinus obsequetur, Unda procumbet."

INDEX SCRIPTORUM.

Halis, typis Gebauero-Schwetschkianis.